Ver. 2. J. S. N.

Digitized by Google

17-6-4

Ex Bibliotheca
Jac. Aug. Thuani.

A-44.

21-9-44

Digitized by Google

4471
4. 9.a
Ef. e. 14. 99. n.o 306.

Digitized by Google

6 1

PETRI SERVII

INSTITVTIONVM

Quibus Tyrones ad Medicinam Informantur

LIBRI TRES

Ser 9

BIBLIOTECA COLLEGII ROMANI

Eiusdem

PROLVSIONES

DVÆ

Ad Instruendos Inflammandosque ad Artem Tyrones Accomodatæ.

ROMÆ,

Ex Typographia Bernardini Tani. 1638.

Superiorum permissu.

Monaldesio Carolucciano Auctor L.

Digitized by Google

HAs Petri Seruij Institutiones, quibus Tyrones ad medicinam informantur, iussu Reuerendissimi Patris M. S. P. A. vidi, omniaque religioni, bonis moribus & medicinæ consentanea intellexi, dignas proinde censeo, quæ in publicam lucem prodeant. kal. Aug. 1638.

Sylvester Collicola.

Imprimatur, Si Videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacr. Palatij Apostolici.

Io. Baptista Episc. Camerineñ.

Imprimatur,
Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apost. Mag.

Digitized by Google

Illustr.mo & Reuerendiss.mo D.

D. THADAEO COLLICOLÆ

VRBANI VIII. PONT. MAX.

Intimo & Medico & Cubiculario
Atque Canonico Vaticano

Petrus Seruius S. P. D.

MAxima, quibus Tibi deuincior, beneficia tenui quidem & exiguo (non me fugit) profiteor testimonio, tenuitate verò minimè dehortatus: tum quia ex animo id promo gratissimo, sibique conscio; tum quia beneficentiæ illud peculiare est, vt gratijs habitis potius gaudeat, quàm vel actis, vel relatis; tum demum quia eiusmodi est natura Tua, ingenium eiusmodi, vt Stoicorum more, quos ingenuitate animi, candore atque moderatione refers, vel magna non magni facias, quę aliquam obseruantiæ gratiq; animi significationem præseferant. Verùm quia non tam quid singularis Tua & maximè composita permittat natura, quàm quid meæ partes exigant, spectandum mihi est; fit, vt etiam tenui hoc argu-

Digitized by Google

mento ſummam in me Tuam beneficentiam, meam in Te perpetuam obſeruantiam teſtari audeam. Et verò ſi L. Sylla ea dedit grati animi argumenta, vt Senex, Dictator, & rerum Dominus priuato Pompeio, adhuc adoleſcenti, ac patris tantùm in ſyllanis partibus veſtigia ſequuto, *Et caput adoperuerit, & ſella aſſurrexerit, & equo deſcenderit, & publicè in concione eius merita prædicauerit:* ego noſtri ordinis, infimi ſubſellij, ſummis a Te beneficijs cumulatus, Tibi verè ἀρχίατρο noſtriq; Senatus Principi exiles aliquas non exhibeam obſeruantiæ gratique animi notas? Imò verò vt olim C. Terentius Culeo triumphantis Aphricani currum *Pileatus*, grati animi ergo, ſequutus eſt; ſic ego Te, in ſupremum Medicinę faſtigium Tuis meritis euectum, ijs, quibus per me licet, ſtudijs perpetuò proſequar. Vale, viue diu, vt diu viuat *Summus in terris omnium Moderator*, qui per ſedulitatem prudentiamque Tuam, iudicium ſingulare, ac miram, & ſupra quam cuique credibile eſt, ad medendum dexteritatem ſoſpes incolumiſq; viuit. iterum vale. Kal. Aug. CIↃDCXXXVIII.

LE-

Digitized by Google

LECTORI

PAucis, Lector, in ipso operis limine te volo, duo moniturus: alterum Medicinæ epitomen Tyronibus me cõscribere, breuem nempe contractamq. Institutionem, qua mollis eorum animus, nuper huc e philosophia profectus, primis Artis elementis erudiatur; & facilis eis certaq; ad vlteriora sternatur via. Neq; ni fallor, incassum ago: nam licet Sennertus, Fuchsius, Heurnius, &, si qui sunt, alij (nam Romam hi solùm, quòd ego sciam, appulerunt) id egerint; tamen ille scripsit absolutè quidem, vt omnia, sed luculentiùs, quàm tyronum conditio postulet, & adultis potius, quàm adhuc in medicina adolescentibus: quos solùm nos instituere contendimus. Hi verò (dicam ingenuè, quod sentio) quà prolixiùs scripserunt, quà contractiùs, quàm oporteat; superuacanea multa (præsertim Heurnius) mutila multa: plura sunt, quæ inde abesse vellem, plurima quæ adesse, vt rectè scitèq; tyrones instruerentur. Accedit eò, quòd etiamsi horum omnium Institutiones & tyronum captui accomodatæ essent, & numeris omnibus absolutæ; tamen est, cur nouas moliamur: nempè quia ijs planè caremus, Alpes non prætergressis. ergo nostri muneris est, discipulorum vtilitati, imò summæ necessitati consulere, ne

aut rudes, nulliſque artis fundamentis (quod plerumque accidit) inſtructi ad lauream accedant; aut cum ſumma animi, corporiſque labore hinc inde ſine ordine, ſine delectu, & quaſi tumultuariè ea ſibi comparare cogantur. Itaque operæ pretium omnino fuit, haſce Medicinæ Inſtitutiones conſtruere.

Alterum te, candide Lector, candidè moneo, currenti me calamo, imò volanti vnico ſummæ huius æſtatis menſe, horis faciendæ medicinæ ſubreptis, hæc ſcripſiſſe vel fudiſſe potius, nec ferè quicquam exſcripſiſſe, aut (moriar ſi mentior, ac Deus Deus ipſe a mẽtiente pœnas ſumat) interpolaſſe: ſed quod primò animo concepi, irrepſitque in calamum, exaraui, vix tenui aliqua litura vſus. Sanè glorioſæ olim oſtentationi tribuebam, quod a Sigonio in Emendationum libro ſcriptum eſt, Menſtruo ad meditandum ſpatio ſumpto *librum conſcripſiſſe: nec Mureto facilè credebam, qui ſe nihil vnquam interpolaſſe* in Variis *profitetur: Cardanum verò paulò ſuperbiùs de ſe loqui ſuſpicabar, cum ſe plus ſcripſiſſe, quàm legiſſe teſtetur. Ego in tenui hac re, re doctus intellexi ac didici, Sigonium a iactatione alienum eſſe, veracem Muretum, neque Cardanum inſolentiùs ſe ſe efferre; cum hæc (liceat parua componere magnis, aris lupina) vix vno menſe, nihil ferè interpolans, & certè plus, quàm legerim,*

In Epiſt. calce.

De Vari.

hæc

hac de re scribens, absoluerim. Cur, inquies, audax hoc ausum? audax, fateor, ac penè temerarium, nec satis tutò meæ existimationi consulens. Sed duo sunt, quæ me properare coegerunt, ac properanti admouerunt calcharia: alterum quòd tempus iam iam instaret, grauioribus seuerioribusque Musis dicandum: alterum quòd tyronibus scribens, eorum captui prospiciendum duxi: ac proinde humiliori, quàm fortasse consueuerim, stilo, minusque limato vtendum. Ne igitur mireris, meque inconstantiæ ac leuitatis accuses, si hæc aut cum Exercitationibus De Sero Lactis, *aut cum* Iuuenilibus, *aut* Dissertatione de Vnguento Armario *ceteriſque conferas: quia non eadem vbique mens, non eadem cura, nec materies semper eadem: cuius causſa aut rudiori aut politiori vtendum stilo, vel pueri norunt. Illud tamen spondeo, in meque recipio, hæc me incudi redditurum, & oportunius scribendi tempus nactum, perfectiora prodituru, Quæstionibus tyroni vtilissimis locupletata.*

Adieci autem duas Lectiones, *quarum altera a me habita est, cum* Theoricam Medicinam Ordinariam *publicè docendi munus susciperem: altera cum primum prima sectionis aphorismum ineunte hoc ipso anno interpretarer: adieci,*

in-

inquam, eo consilio, vt illa instruerem hac cordatos redderem ad Medicinam capessendam auditores, nam ibi facultates omnes medico aut necessaria, aut vtiles, aut commoda ante animum oculosq; proponuntur: quibus ne deterriti tyrones auocentur a studio, adscripta est alia dissertatio, qua ostendens, etiam iuuenes ad artis culmen euadere posse, ardenter ad eam inflammat. Et quamuis probè nouerim, quod sapienter a Mureto scriptum

In Oratione num præfat.

est, Sæpe accidere, vt, quæ audientes mirabamur, eadem legentes rideamus, *vt vsu id venire quotidie videmus (nam sexcenties contigit, vt hiante ore aut concionantes in templis, aut* legentes *in scholis, aut in academijs proludentes audiamus; quorum tamen scripta, quæ ingenij iudicijque sunt ideæ, expressaque imagines, ludibrio nobis sunt, ingenio destituta, iudicio orbata, industria manca, omnibusque perfectionis membris capta) tamen quia non ex ijs sum, qui Mi-*

Athenæus 3. Dipnos.

lesiorum more Sonis inanibus aurium implere corium *contendant, sed solida vt per me licet, ac sine fugaci ostentatione auditorum animos doctrina imbuere; minimè deterritus sum, ne, quæ olim e suggestu vel frigidè auditoribus dixi, ea nunc doctorum hominum censuræ subijcerem: nimirum exemplo commotus magnorum virorum, Casalpini, Baccij, Cagnati, aliorumque nostrorum antecessorum,*

rum, qui doctrina multùm, eloquentia parùm pollentes, Chaimis, & Crucijs, alijsque huius ordinis, qui eloquentiam venditare, & ostentare vulgo memoriam maximè studuerunt; doctrina, eruditione, & omni litterarum genere longè multùmque præstiterunt. Neque verò sapientes vnquam probarunt inepti vulgi sententiam, quod eos doctiores esse putat, Quibus lingua est magis fluida, & populo grata. *Ego sanè iam inde* ab eo tempore, quo aliquid sapere cæpi, hoc est, (*liceat vti Ciceronis verbis*) *a* vulgi opinione dissentire, *illud ratum semper firmumq; putaui, quod a magno Scaligero dictari consueuit*, Philosophorũ conuiuium nõ tam nitidum quam opulentum esse oportet? *Profectò solida firmaque doctrina cincinna respuit, fucum, ornamentumque curiosum; simplicitatem amans, ac natiuam ingenuitatem. Hæc, Lector, ne aliò, quàm quò a me dicta sunt, dicta putes; ne ve glorioſiùs dicta suspiceris: natura enim sum ab omni iactatione alienus; & tãtùm abest, vt aliquid esse in litteris, aliquid scire mihi videar, vt potius cum Arcesila*, Nihil sciri posse *penè existimem*, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquit. *Vale.*

Hipp. lib. de Nat. Hum.

Att. lib. 8.

In Apthe. gm.

Cic. 1. Acad.

IN-

INDEX CAPITVM.

Ordinem, Lector, prępostęrum fortasse prima fronte existimabis: caue obsecro, indicta causa sententiam feras: lege, si lubet, principium Sectionum, in quo ordinis ratio traditur: tũc tui iuris esto.

Lib. 1. de Physiologia.

De origine medicinæ sectis &c. Proleg.

Sect. 1.

De Partibus Similaribus.

C Ap. 1. de partibus similaribus spermaticis 9
C. 2. de partibus simil. sanguineis 13
C. 3. de parte neutra seu mista 14
C. 4. de elementis 14
C. 5. de humoribus 19
C. 6. de temperamentis 25

Sect. 2.

De Partibus Organicis.

Cap. 1. de cerebro 34
Memb. 1. de imaginatione, ratione &c. 35
M. 2. de nervis motus & sensus instrumentis 42
M. 3. de organis externorum sensuum, & primo de oculis & visione 53
M. 4. de auribus & auditu 56
M. 5. de naso, & olfactu 58
M. 6. de lingua & gustatu 59
M. 7. de cuti & tactu 60
M. 8. de musculis & motu 61
C. 2 de corde & vitali facult. 62
M. 1. de arterijs & pulsu &c. 65
M. 2. de respirationis instrumentis &c. 66

C. 3. de

.de org. facul. naturalis &c. 69
M. 1. de iecinore & facul. natur. 70
M. 2. de instrumentis præparantibus ore & stomacho, deque chylosi 72
M. 3. de instr. seruientibus nat. fac. expurgando excremẽta, id est, de intestinis, liene, tenibus &c. 78
M. 4. de instrum. naturali facul. seruientibus destribuendo 84
M. 5. de instrum. generatricis facul. &c. 87
C. 4. de sanitate 100

Lib. 2.

De Pathologia.

Sect. 1.

De Morbis.

CAp. 1. de morbi natura 105
C. 2. de differen. morborum 108
Memb. 1. de mor. similarium partium 110
M. 2. de morb. partium organicarum 111
M. 3. de mor. vtilsque communibus 114
M. 4. de aliis mor. differentijs 115
C. 3. de causis morborum 120
M. 1. de internis morborum causis 120
M. 2. de externis mor. causis, & primo de aere. 130
M. 3. de cibo & potu 134
M. 4. de somno & vigilia. 142
M. 5. de motu, & quiete 145
M. 6. de excretis & retentis 146
M. 7. de animi pathematibus 147
M. 8. de causis morborum similarium part. &c. 149
M. 9. de causis mor. organicarum part. &c. 252
M. 10. de causis mor. vtrumq; communibus &c. 154
C. 4. de signis morborum 155
M. 1. de signis mor. similarium part. 157
M. 2. de signis mor. organicarum part. 160
M. 3. de signis mor. vtrilq; communium 162
M. 4. de signis aliarum mor. differentiarum 163
M. 5. de signis partis affectæ 170
M. 6. de signis causarum. morbi 171

M. 7. de

M.7.de ſignis prognoſticis 173
M.8.de criſibus &c. 889
M.9.de pulſibus 888
M.10.de vrinis 898

Sect. 2.

De Symptomatibus.

Cap.1. de ſxmpt. læſatum actionum 202
C.2. de ſympt. affectionum noſtri corp. 210
C.3. de ſympt. excretorum & retent. 221

Lib. 3.

De Therapeutica.

Sect. 1.

De ratione curandi morbos.

CAp. 1. de generali medendi methodo 215
C.2. de curandis mor. ſimilarium partium 222
M.1. de curanda intemperie ſine materia 223
M.2. de curanda intemperie cum materia 227
M.3. de curanda occulta intemperie 229
C.3. de curandis morbis partium inſtrument. 230
M.1. de morbis figura curandis 233
M.3. de curandis numeri morbis 238
M.3. de curandis magnitudinis morbis 239
M.4. de morbis in ſitu curandis 242
C.4. de morbis ſolutæ vnitatis curandis 244
C.5. de curandorum ſymptomatum ratione 246

Sect. 2.

De tribus medicinæ inſtrumentis.

C.1. de phatmacia 243
M.1. de alterantibus 254
M.2. de euacuantibus. 279
M.3. de recta medicamẽtorũ adminiſtratione 293
Æ.3. de chirurgia 326
C.3. de diæta 3 12

IN-

Digitized by Google

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER PRIMVS

De Physiologia.

BIBLIOTECA

De Origine Medicinæ, Auctoribus, Sectis, Partibus Definitione, Subiecto Prolegomena.

QVI primò ex philosophia ad Medicinam iter parant, Institutionibus quibusdam opus habent, quibus rectà ad artem dirigantur: alioqui enim errabũdi huc illuc vagantur sine scopo. Itaque operæ prætium me facturum confido, si ea tyronibus tradiderim, quibus veluti in artis limine instructi vastum eius campum peragrare possint. Et primò quidem ea tradam, quæ sicuti cognitu necessaria sunt, ita ad capita referri commodè non possunt, vt Medicinæ Origo, Auctores, Partes Sectæ, Definitio, Subiectum cetera

Qui ergo natam apud Aegyptios putant

Digitized by Google

medicinam (putant autem omnes, quod sciam, Plinium sequuti) manifestè mihi videntur hallucinari. Non enim verisimile est, apud gentem omnium saniſſimam natam fuisse artem, quæ morbis medeatur: imò verò econtrario in regione morbis obnoxia eam primò exortam, verisimilius videtur. Etenim si necessitas, vt omnes fatentur, artem primò excogitauit, profectò apud Aegyptios, omnium gentium saniſſimos, (id enim credendum est, si credendum Herodoto) nulla aut perexigua necessitas erat artis medicæ excogitandæ, ergo alios populos, morbis magis obnoxios, necessitas coegit remedia morbis oportuna perscrutari. Sed, vt dicam, quod sentio, quodque, vt opinor, res est, Medicina nata fuit conditaque Orbe ipso condito (nam eam mundi exordio creauit Altissimus, vt est in sacris litteris) cæpit autem exerceri cum primũ homines ex agris in communem societatem coierunt. Et principiò quidem nulla erat ars, nullique artifices seu medici; sed ægri in quadriuijs exposiri a prætereuntibus suscitabãtur remedia curandis morbis vtilia, quæ si prodesſent, in Deorum templis appendebantur tabulis adscripta, a quibus quidem tabulis aliqui instructi aliorumque exemplis edocti, Artem facere exercereq; cęperunt sola experientia muniti. vnde Empirica secta atque hæresis nata est. Huius princeps, qui nimirum diligentiùs eam exco-

lere

lere cæpit, censetur Acron Agrigentinus; asseclæ Crito, Lycus, Menodotus, Philinus, Eraclides, Serapion, Theodas, Philistion, Glaucius, vtriq; Apollonij, Theodorus, ceteri non pauci tum olim, tum ætate nostra, quorum plerique philosophiæ & omnis planè litteraturæ expertes imponunt potius ægræ plebeculæ, quàm medeantur. Censebant autem omnes solam experientia in curandis morbis opus esse, posthabita eorum causa, neglectaq; ægri natura, temperamento, ætate, consuetudine, ceterisque omnibus, quæ a Dogmaticis maximi fieri solent.

Empiricam sequuta est Rationalis seu Dogmatica. cum enim homines solis experimentis non contenti, morborum causas explorare cæperunt, Rationalem siue Dogmaticam sectam constituerunt. Huius auctor & princeps est Hippocrates: asseclæ infiniti propemodum, precipui ac nobiles Erasistratus Aristotelis nepos, Erophilus, Diocles, Protagoras, Asclepiades, Alexander, Paulus, Aetius, Arabes ferè omnes, omnesque penè Latini. Hæc secta viguit quadringentos circiter annos, ab Hippocrate nimirum ad C. Iulij Cæsaris perpetuam dictaturam; quo tempore Temison huic sectæ acre bellum indixit. Sed non multò post, Antonino Pio ac Seuero, si Galeno credimus, dominante (qua quidem in re vix credendum puto, nam etsi Galenus lib. de Typis cap. 1. dicat,

Seuerum Antonino in imperio succeſſiſſe, *qui ſeipſum mutato nomine Antoninum vocarit*, tamen non Seuerus, ſed Verus ſucceſſit Antonino, mutatoque nomine **Antoninus** dictus eſt. Seuerus autem multo poſt tempore ſucceſſit, mortuo nimirum **Galeno**. vide Iul. Capit. Victorem, Eutropiũ **lib. 8.** Herodianum lib. 1. ceteros) dominante, inquam, Antonio Pio, & Marco Aurelio Antonino extitit Galenus, qui eam ſectam reſtituit, non quidem collapſam, ſed vitium penè facientem. Cenſent hi experientia quidem opus eſſe in medicina facienda, ſed rationem quoque maximo eſſe emolumento. ergo experimẽto rationeq; inſtructi Dogmatici morborum cauſas inueſtigant, corporis naturam, medicamentorum facultates, ceteraque ab Empiticis neglecta.

Poſt Rationalem exorta eſt Methodica, cuius princeps fuit Temiſon Laodiceus Syrus: ſectatores Teſſalus Trallianus, Mneſeas, Dionyſius, Proclus, Antipater; item Olympiacus, Mileſius, Menemachus Aphrodiſienſis, Soranus Eſeſius, Leonides Alexandrinus, Apameus Syrus, Archigenes, alij. Hi cenſebant in omnibus morbis duo ſemper coire, Laxum & Strictum, quę communitates ab eis dicebantur, indeque remedia petebant laxis quidem ſtringentia, ſtrictis verò laxantia: ſeq; ſex omnino menſibus vniuerſam artem medicam tradituros pollicebantur, ſignis cauſiſque

mor-

orborum penitus neglectis. Methodicos se numinarunt, vt pulchro ac spacioso omine suam hæresim decorarent.

Demùm patruum nostrorum ætate, eruulgata est secta Spagyrica seu Chymica: quæ duplex videtur esse, vna quæ veterа rerum principia demoliens noua cõstruit, *Salem*, nempe, *Sulphur*, *Mercurium*: iuxta quæ morbi causas, vireſque medicamenti inuestigat, & adhibet omniaque illis accepta refert. Altera verò nihil veteris philosophiæ ac medicinæ innouans, in medicamentorum tantùm depuratione versatur, eaque exhibet aut vi efficaciora, aut mole minora, aut gustu suauiora. Illius auctor est Theophrastus Paracelsus, asseclæ ij omnes, quos veteris philosophiæ medicineque pertæsum fuit, hoc est, quos pœnituit diutius sapere. Nata igitur fuit ineunte superiori sęculo. Alterius verò natale longè antiquius est, vt probauimus cap. 16. *Exercitat. de Sero Lactis*: hæc vt antiquitate, ita vsu & vtilitate eam longè antecellit. Sanè cum Hippocratis Galenique principijs ac methodo nititur (nam interdum Empiricorũ turba ea abutitur) summè laudanda est, ac maximè amplectẽda.

Definitur autem medicina multipliciter, iuxta multiplicem definientis intẽtionem. nam Hippoc. lib. de Flat. respiciens operationes medicinæ dixit *Medicina est appositio & detractio; appositio quidem eorum quæ desiunt,*

ciunt, detractio verò eorum quæ abundant. Galenus respiciens finẽ dixit ad Trasybolũ *Est ars ægrorum curatrix & sanorũ conseruatrix.* Herophilus partes animaduertẽs dixit *Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum.* Auicenna demùm considerans rationem eius formalem, subiectum munus, ac finem dixit *Medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones noscũtur, vt sanum est, vel vt a sanitate recedit, vt habita sanitas conseruetur, vel amissa restituatur.*

Diuisiones etiam variæ sunt: celebriores in Conseruatiuam & Curatiuam; in Theoricam & Practica; in Res naturales, Non-naturales & Præter naturam; in Pharmaceuticam, Chirurgicã, & Diæteticam. Sed hæ minùs absoluræ sunt: illa omnium optima, qua partitur in Physiologiã, Pathologiam & Therapeuticã. Duę adhuc addi solent partes ὑγιεινὴ, quę de tuenda sanitate, & σημειωτικὴ, quæ de signis agit: tamen illa ad therapeuticã commodè referri potest, hæc ad pathologiam. & verò si sanitatem amissam therapeutica restituimus, cur præsentem non tuemur eadem? & si morborũ causas pathologia comprehendimus, cur non etiam eorumdem signa? Subiectum verò medicinæ apertè est corpus humanum sanitatis capax: nam circa hoc medicina per se versatur: circa cetera verò huius gratia. Finis est sanitas vel conseruanda vel restituenda.

SE-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA
De Partibus Corporis Similaribus.

TRipartitæ sunt nostræ Institutiones: & in primo quidem libro in Physiologia versabimur, hoc est, corpus humanum extime intimeq; explorabimus: omnes eius partes, facultates omnes, & quidquid ad perfectam eius scientiam spectat, indagabimus. In altero Pathologiæ scientiam, quàm fieri potest accuratè, trademus, morbos nimirum omnes, omniaq; symptomata, causas eorum omnes, atque signa trademus. In tertio demum Therapeuticam, hoc est, medendi methodum curandique morbos rationem ostendemus.

Vt ergo primi libri consilium explioratum sit, quis nam seruetur ordo, prænoscendum. Totus in corporis humani partibus cognoscendis, explorandisque eius facultatibus versatur. illud quidem non anatomicè (res enim esset præstatu laboriosa, cognitu tyroni difficilis, & a scopo, cui collimamus, aliena) sed rudiori quodam modo tyronibus satis accomodato, satis vtili. In duas enm Sectiones partiti

sumus, & quamlibet sectionem in plura capita; & nonnulla capita (vsu id, ratione q; ordinis postulante) in plurima membra. Itaque cum bipartito corpus humanum diuisum a nobis sit, in Similares & Organicas partes, commodè & oportunè in Prima Sectione de Similaribus, in Altera de Organicis agemus. Similares autem cum sint vel Spermaticæ, vel Sanguineæ, vel mixtæ ex ambobus; in primo eius capite spermaticas partes tractabo, in altero sanguineas, in tertio mixtas. At verò quia hæ omnes, licet simplices dicantur, compositæ tamen sunt, ac reuera ex elementis constant, in quarto capite de Elementis. Cum verò propria proximaque partium elementa sint humores, de Humoribus quinto cap. agemus. Et cũ humores quasi pediſſequa temperamenta sequantur, de Temperamentis in sexto agendum necessariò nobis erit. De Partibus autem, Facultatibus, Actionibus in secunda sectione agendum, organicis partibus dicata. Quæ in secunda Sectione continentur suo loco intelligetis.

De

De Partibus Similaribus Spermaticis Cap. 1.

SImilares partes *Protogenæ* a Platone dictæ, quòd ordine generationis compositas præcedant; ab Anaxagora *Omiomeræ*, quòd vnam eandemque substantiam habeant; ab Aristotele *Asinthetæ*, quòd sine compositione sint; a Galeno *Elementa*, quòd ex his organicę & vniuersum corpus constituatur; ab Hippocrate *Ischonda*, id est, continentia, quod contineant cetera omnia, ex quibus constat corpus humanũ; definiuntur a Galeno, *quæ in partes specie diuersas diuidi non possunt.* Sunt numero vndecim, cutis adeps, membrana, caro, fibra, ligamentum, cartilago, os, vena arteria, neruus. Cum verò aliæ ex semine cõstent, ex sanguine aliæ, aliæ ex ambobus; de illis in hoc capite agemus, & deinceps ordine de alijs.

Spermaticæ igitur partes, ex spermate, semine ve genitæ, sunt numero ferè octo, os, cartilago, ligamentum, fibra, seu villus, membrana, neruus, arteria, vena. Hæ omnes partes licet ex eodem semine constent, tamen diuersæ sunt inter seſe, diuer-

sitatis causa ex etherogeneis seminis partibus orta. Nam ex seminis parte, concretioni magis apta, efformata fuerunt ossa; ex parte magis apta tensioni membrana, venæ, arteriæque natæ sunt: ex pinguiori, cartilago; ex molliori nervus, ex duriori ligamentum, ex alijs aliæ haud absimili ratione.

Ossa igitur sunt partes corporis similares, omnium durissimæ, siccissimæ, frigidissimæ ex terrestriori sanguinis parte genitæ a vi formatrice ad stabilitatem corporis, robur, ac rectitudinem. nam vt est apud Hippocratem lib. de Oss. Natura 17. *Ossa rectitudinem, stabilitatem & speciem corpori præbent.*

Cartilago est veluti imperfectum os, non adhuc exsiccatum duratumque, sed tenerum, ac molle. nam ossa ferè omnia principiò videntur cartilaginea. ergo gignitur ex frigida & sicca seminis portione, caloris vi duriuscula reddita, vt vatietati motuum ac securitati seruiat.

Membrana est veluti quædam tenuissima pellicula ex frigida, sicca, lenta, ac ductili seminis parte genita: ideòque densa, lata, tenuis, sensus tactus organũ, partium subiectarum tegmen, vinculum ac terminus. nam & tuetur subiectas sibi partes, & mutuo eas vincit colligatque in musculos atq; adeò veluti termino circumscribit ac finit. Membranarum aliæ sunt veræ membranę, aliæ corpora membranosa: illę sunt cerebri me-

menignes, peritonæum, pleura, perioſtia, ceteræque plurimæ. Hæ verò ventriculus, veſica, ciſta fellis, vterus, inteſtina, cetera.

Fibra ſeu villi ſunt quædam fila alba, ſolida, ex ſeminis parte ſicca frigidaque nata, & per omnes corporis partes, ad motum præcipuè edendum propagata. nam ſiue naturalem, motum ſpectes, vt attractionem, expulſionemque; ſiue vitalem cordis & arteriarum; ſiued emum animalem muſculorum; a fibris fieri omnes intelliges. Et animalis quidem motus deficit, muſculi fibris tranſuersè reciſis: deficit naturalis, leſis ventriculi fibris, ſtomachi, inteſtinorū: demum cordis & arteriarum fibris vitiatis, eorum motus apertè læditur.

Ligamentum quid ſit, vox ipſa declarat. eſt enim quod ligat vincitq; oſſa, & artus. *pars eſt ſimilaris mediam quandam inter cartilaginem & neruum ſortita conditionem, ad colligandos, continendos, tegendoſque muſculos fabrefacta.* Mediam quidem conditionem adeptum eſt, quia neruo durius eſt, vt ne in motibus frangatur: cartilagine mollius, vt muſculis oſſa mouentibus facilè obſequatur. Carent ferè omnia omni ſenſu, cum neruos, paucis exceptis, non recipiant.

Neruus eſt ſpermatica pars & quædam veluti caua corda e cerebro ſpinalique medulla profecta in omne corpus, vt ſpiritus per eam & vis animalis vndequaque effundatur. Ex du-

plici constat substantia, interiori scilicet medullosa cerebri substantiæ simillima, per quam spiritus fertur: & exteriori membranea, qua continetur illa substantia per se mollis, ne effluat, ac dissipetur. Similaris pars est, sensu iudice (nam reuera composita est ex pluribus partibus) quem sequuntur medici, quippe *Artifices crassiusculi*, vt loquitur Scaliger. de his plura dicenda membro 2. cap. 1. sect. 2.

Arteria est fistula quædam ductusque per quem tenuior sanguis ac spiritibus affluens, e corde in omnes corporis partes deducitur. nam arteria spiritum, in sinistro cordis ventriculo tanquam in officina elaboratum, haurit, & vndequaque deducit; ac proinde influentem calorem vna cum facultate vitali omni corpori impertitur. Perenni diastoles & systoles motu agitur, vt illo quidem externum aërem, quo temperentur ac nutriantur spiritus vitales, attrahat; hoc verò, vt fulgines, e sinistro cordis ventriculo, caloris foco & spirituum officina exhalantes, abstergat, forasq; euomat. Plura de arterijs neque hic neque alibi dicenda, quia non vt venæ tyronibus necessaria.

Vena arteriæ simillima est, & vt illa spiritum sic sanguinem hæc continet. proficiscitur ex hepate in omne corpus sanguinem deferens & naturalem facultatem. De venis autem pluribus & oportuniùs dicemus Sect. 2. cap. 3. memb. 4. nam harum

co-

cognitio magis quàm arteriarum tyro bus conducit.

Hactenus ſimilares omnes partes ex ſpermate oriundæ, nunc ſimilares ex ſanguine eadem, qua ſuperiores, breuitate.

De Partibus Similaribus Sanguineis Cap. 2.

SAnguineæ corporis partes, hoc eſt, ex ſanguine genitæ, ſunt numero duæ, caro, & adeps.

Caro quid ſit, nemo eſt, qui rudi ſaltem craſſaque cognitione neſciat. *eſt mollis rubicundaque pars ex ſanguine mediocriter exſiccato parta*. huiuſmodi autem eſt caro muſculorum, gingiuarum, & penis glandis. Sunt etiam quædam aliæ ſubſtantiæ carni ſimillimæ, ſed reuera carnes nõ ſunt, ſed potius parenchymata, vr pulmo, hepar lien, renes.

Adeps pinguior eſt ac magis aërea ſanguinis pars, quæ ex tenuibus vaſorum tunicis roris inſtar exudans, incidit in frigidas partes & concreſcit. niſi mauis dicere eſſe ſuperuacaneum alimentum, quod cum a calore in partium ſubſtantiam commutari non poſſit, in pinguedinem vertitur.

De

De Parte Neutra, seu Mixta Cap. 3.

CVtis, vt Hippocratis verbis vtar, cum *sit* veluti *omnium partium colligatio* necessario ex ambobus, sanguine scilicet & semine vt constaret necesse erat. cum enim sanguineas omnes, ac spermaticas simul liget, vniat, & quasi amicè nectat, consentaneum erat, vt ex vtrarumque principijs constaret. *Ex sanguine igitur & semine genita, membrana est crassa, ampla, ductilis, mediocri exactoq; temperamento prædita, externo tactui seruit.* Est & cuticula, quæ tenuissima quædam membranula est, & cutis veluti superficies, quam in combustis videmus in bullas attolli.

De Elementis Cap. 4.

HActenus similarium omniũ partium structura, munus, ac natura: nunc sequitur vt de earum primis principijs nonnulla addamus, vt exactam de eis sciẽtiam adipiscamur. Et quamuis simplices & incompositæ partes dicantur, tamen reuera com-

compoſitę ſunt ex quatuor humoribus immediatè, mediatè verò ex quatuor elementis, ideò iure optimo de ambobus ſubijcienda tractatio eſt. & quia earum omnium natura, vis, & perfecta conſtitutio pendet ex elementorum, humorum ve temperamẽto; ideò vltimo loco addenda eſt de temperamentis indagatio, & ita quæcumque ſpectant ad abſolutam ſimilarium partium ſcientiam tractata a nobis erunt, breuiter, quia epitomen conſtruimus. Elementa igitur ſunt prima corpora parteſque humani corporis, quæ in alia diuerſarum formarum corpora diuidi non poſſunt, ex quorum mixtione omnia fiunt, & in quę reſoluũtur omnia, quę intereunt. Diſtant autem elemẽta a principijs ex eo, quòd hæc neque ex ſe, neque ex alterutris oriantur: illa verò quòd mutuo & afficiantur, & tranſmutentur. nemo enim eſt tam hebes & luſcioſns, qui non videat, aquam in aërem diſſolui & euaporare; aërem viciſſim in aquam cõcreſcere. Nemo tamen eſt, qui adeò perſpicax ingenio ſit, qui vel animo compræhendere poſſit, principiorum alterum in alterum migrare. Diſtant ergo elementa a principijs longiſſimo interuallo. Porrò autem plura eſſe elementa apertiſſimè conuincit Hippocrates lib. de Natura Humana, aureo, inquam, eo libro, vnde Ariſtoteles bonam hauſit ſuæ philoſophiæ partem, furtoq; ſubripuit: *Si vnum*

eſſet

esset homo inquit text. 2. *nunquam sanè doleret. neque enim esset, vnde doleret, vnum existens.* & tex. 4. *Necesse est generationem fieri non ab vno. quomodo enim vnũ existens aliud quid generaret, si non alicui misceatur?* quæ quidem Hippocrates non solùm ad humores refert, sed etiam ad elemẽta. Quod autem sint omnino quatuor, ignem, aërem, aquam, terram, calidum, frigidum, humidum, siccum ab eo dicta, probat, quia necesse est in generatione quatuor hæc esse inuicem coniuncta ac temperata, alioqui non sequitur generatio: *Si non calidum & frigidum & siccum & humidum moderatè & æqualiter inter se haberent, sed alterum multò alterum præcelleret & fortius debiliore præstaret, generatio fieri non posset.* Hæ omnes rationes maximi faciendę sunt, & longè pluris, quàm Aristotelicæ.

Quomodò autem elementa humanum corpus cõponant, haud difficilè intellectu est: Ratum apud omnes exploratumque videtur, corpus e membris organicis construi, organica ex plurimis similaribus formari, similares ex semine menstruoq; sanguine, vtrumque ex quatuor humoribus; humores ex alimento, hoc ex elementis. Cum igitur ex elementis fiant alimenta, ex alimentis humores, ex humoribus partes similares, ex similaribus organicæ, ex organicis corpus humanum; sequitur necessariò, vt hoc vi ordinis compositionis ex

ele-

Digitized by Google

elementis conflatũ sit. Quinimò id ipsum elegantissimè ostendit Framber. ex vltima eius resolutione, cum omnia per interitum eò, vnde profecta sunt, reuertantur. Anima corporis vinculis soluta, quicquid in corpore reliqui factum est, abit soluiturq; in elementa, ignem, aërem, aquã, terram: calor quidem euolat in ignem, spiritus maxima ex parte in aërem exhalant, humores effluunt in aquam; solidę partes putredine labefactæ temporis processu humore, spiritu, caloreque exhaustæ in cinerem rediguntur abeuntque in terram, vt magnus Hippocrates ostendit libro de Natura Humana tex. 5. *Cum homo interit singula in suam naturam secedere necesse est, humidum nempe ad humidum, siccum ad siccũ, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum. Talis autem tum animantium tum aliarum omnium rerum est natura, oriunturq; similiter omnia, & similiter occidunt.*

Constat igitur ex Hippocratis sententia ac ratiocinatione, ita sese habere hominis interitum, vt per eum homo in ea omnia, ex quibus conflatus est, resoluatur; in ignem, aërem, aquam, terram.

Iam verò cum elementa mistionis gratia genita sint, haud importunè me facturum putaui, si mixtionis rationem ob oculos vobis ponam. *Mixtionem esse mistibilium alteratorum vnionem*, notis ex Aristotele. qua verò ratione ea fiat, ex me cognoscite:

scite: Alterari necesse est, mutuoque affici ea omnia, quæ miscentur, calidum in frigidum agat oportet, humidum in siccum; & econtrario frigidum in calidum, quantùm vtriusq; fert conditio, siccum in humidum. Alterna huiusmodi actione & passione ita mutuò sese temperant, vt contrariæ illæ qualitates, veluti inimicitia deposita, amicè coeant in eodem misto. Et non solùm qualitas qualitatē afficiens altera temperat alteram; sed substantia etiam alterius alterius substantiæ ita miscetur, vt sese in eam penitus inserat, mutuò complicentur, & firmissimo quodam nexu consocientur.

Dum verò ita miscentur afficiunturque, non ita aut afficiuntur aut miscentur, vt vnumquodq; vel propriam naturam formamq; penitus exuat, vel sinceram omnino retineat. hæbetatur enim & obscuratur elementi forma præstantioris misti formæ aduentu: non secus ac solis accessu lumen lucernæ extenuatur & langueſcit. Itaque non tam ignis est in misto, quàm, vt in Timæo loquitur Plato, igneum; non tam aër, quàm aëreum; aqueum, terreum. neque enim in corpore dici potest hic est ignis, hic aër, vt Gal. ait 1. de Elem. 5. sed, vt ex Platone dixi, igneum, aëreum, aqueum, terreum.

De

De Humoribus
Cap. 5.

SImilarium partium principia initiaque mediata quidem sunt quatuor elementa, immediata verò sunt humores primogenij; semen nimirũ & sanguis menstruus. ex his enim similares omnes immediate constant. Cum igitur similarium partium causa de elementis dictum a nobis sit, reliquum est, vt de Humoribus agamus eorumdem gratia: quorum scientiam vt faciliùs assequamini, singillatim agam de omnibus humoribus quotquot sunt in nostro corpore. Quinquepartitos esse humores omnes, mihi videntur in Primogenios, Alimentares primarios, Alimentares secundarios, Excrementitios vtiles, Excrementitios inutiles. tot esse statuo non quidem ex alicuius auctoris aut veteris aut recensioris sententia; sed arbitratu meo ex rei natura profecto.

Primogenij sunt, ex quibus corpus humanum, hoc est, partes similares suo primordio constant, sanguis nimirum & semen vtrumq;, viri & mulieris. ex his enim duobus in vtero receptis, simulque coniunctis, mutua quadam actione & passione alteratis efformantur a vi formatrice simi-

similares partes, ossa, nerui, cartilagines, membranæ, & aliæ. (vnde intelligere potestis, quàm oportunè *de Partibus Similaribus* agens, agam *de Humoribus*.) *Semen est alba spumosaque substantia, e sanguine oriunda, elaborataque in testibus, hominis gignendi caussa*. Etenim puriores sanguinis partes, spirituque magis turgidæ e venis in testes effluunt tanquam in officinam, in qua elaborentur ita atque perficiantur, vt non solùm albedinem, spirituum vbertatem, ac proinde substãtiam spumosam induant, sed etiã vim prolificam, mirabilem ac ferè diuinam, adipiscantur. De semine hactenus. nam pluribus de eo sanguineque agemus, cum de Hominis procreatione in capite de Virtute Naturali agendum erit.

Humores alimentares primarij, vnde primogenij ducunt originem, sunt numero quatuor, Sanguis, Pituita, Bilis, Melancholia. Hi omnes ex chylo in hepate geniti per venas in omne corpus ducuntur. Etenim ingesta alimenta in stomacho coquuntur in chylum, qui inde elapsus in intestina, perque mesaracias venas in hepatem irrepens noua coctione elaboratur in sanguinem, hoc est, in sanguineam massam ex quatuor illis humoribus cõflatam, bile, pituita, melancholia, & maiori veri perfectique sanguinis portione, cuius gratia tota massa sanguinis nomen sibi vendicat. Hi verò humores e iecinore per venas

in

in omnes corporis partes transfusi partes omnes nutriunt. Quarè satis appositè definiri possunt humores. *Humida quædam, fluidaque substantia, ex alimentis chyloque genita, vt corporis partes alentur, exhaustaque reficiantur.*

Iam verò sanguis peculiariter dictus, hoc est, purior illa massæ sanguinis portio est calido, humidoq; temperamento prædita, colore ruber, sapore dulcis, tenuitate mediocris, aëri affinis, veri similis, meridiei cognatus, pueritiæ adolescentiæque propriùs.

Bilis alimentaris est tenuissima sanguinis massæ portiuncula, igni proportione respondens nempe caliditatis, siccitatis, tenuitatis, atque, vt loquuntur, actiuitatis. Colore flaua est, sapore amara, æstate abundat, in regione calida siccaque, iuuenibus maximeque gracilibus nescio amica vel inimica: quos enim corripit, iracundos reddit: vnde dictum est a Plauto *Bilem in nasum concire*, cum quis iram alicui concitat: reddit tamen ingeniosos, acutos, sagaces ingenioque versatiles, promptos, atq; faciles.

Pituita est humidior ac liquidior sanguinis pars, frigida proinde humidaque, elemento aquæ respondens, alba ac dulcis, ex humidiori frigidioriq; alimento genita ad consimiles partes alendas, vt cerebrum ceteraſq;: facilè migrat in perfectum sangui-

guinem; si perfectiùs a calore elaboretur; & vt aqua ignem, sic pituita temperat compescitque bilem, vt ne illius feruore corpus extuet. Segnes homines reddit, pingues, hebetes, molles, somnelentos, ingenio tardos, iudicio stupidos, industria inertes, rebusque agendis valdè ineptos.

Melancholia crassior est sanguinis portio, terræ non absimilis, colore nigra, sapore acida, temperamẽto frigida & sicca: proinde alendis ossibus fibrisque a natura facta. Autumno viget, & ætate iam iam occidẽte. Cum verò crassa sit ac terrestris calorem ac spiritus cohibet, ne euolent euaporentque. Itaque hic humor non solùm tristitiæ obnoxios reddit homines, sed constantes etiam atque seueros, cogitabundos, prudentes, ingeniosos. Hactenus alimentarij humores primarij.

Secundarij verò sunt Ros, Gluten, & Cambium. Comparatum enim est a natura, vt sanguis in hepate genitus, ductusque per venas in omne corpus, alimẽtum partibus exhaustis suppeditet: quod ita fieri omnes consentiunt, Purior tenuiorque sanguis ab exilibus venis effluit in vacua spatia, exudatque Roris instar, hic in his caueis tantisper latens, Glutinis more partibus adhærescit: mox a vi formatrice in propriam partis substantiam commutatur Humor ille qui ab exilibus venis excidit, Ros dicitur; cum mox paulatim partibus

adhæ-

adhæreſcit, Gluten; cum demum vertitur in ſubſtantiam partis Cambium. Hi ſunt humores alimentares & Primarij & Secundarij. Iam verò.

Excrementicij humores dicuntur, qui alendis partibus inepti ſunt, vt bilis in ciſta fellis condita; melancholia in liene, pituita in ſtomacho, capite, inteſtinis ceteriſque partibus. non enim natura peculiarem pituitæ ſedem cõſtituit, ſed veluti innoxiam (licet nutritioni ineptam) per vniuerſum ferè corpus vagare permiſit. Hi humores etſi excrementicij ſint, & a natura in nutritione reſpuantur, ſunt tamen Vtiles, ad multoſque vſus a natura facti. Et bilis quidem flaua e propria veſica per venulas in inteſtina irrepens, excitat ſopitã ſegnemq; aluum, Melancholia & ipſa e liene per venas ad ſtomachum ducta cibi appetẽtiam facit. Pituita inteſtinis v.g. hærens præterfluentibus fæcibus leniorem viam ſternit: ſtomacho melancholię aciditatem, ſi fortè nimiam, temperat: alijs partibus alios præſtat vſus. Quod ſi pituita tenuior facta, ſanguini per venas ducendo vſui ſit, ſerum nominatur. natura enim prudens ac prouida, quò ſanguis per venas faciliùs duceretur, ſeroſum inſeruit humorem: qui eo functus officio ad renes ac veſicam repit, indeque ſtato tempore emingitur. Saporibus etiam diſtinguntur pituitę: nam vel nitri ſaporem refert, vt hæc ſeroſa; vel acida

eſt,

est, quæ nimirum in stomacho gignitur aut ipsius, aut alimenti vitio; vel dulcis est, vel insipida, vel salsa, quę bilis mistione fit, vel demum est vitrea, quæ per summam calotis inopiam generatur in senibus, vt aiunt, capularibus. & hi sunt vtiles etsi excrementicij humores.

Inutiles verò noxijq; sunt quamplurimi. & bilis quidem est pallida, Vitellina, Atra; Porracea, Aeruginosa, Isatodes. Tres priores in hepate venisue generantur ex flaua naturalique bile. & Pallida quidem gignitur serosi humoris mistione: diluta enim flaua bilis admisto sero pallescit. Vitellina fit, cum eadem flaua bilis magis coquitur. tunc enim & colore intenditur, & tenuitate posita crassescit, redditurque vitello oui crudi crassitie & colore similis. Atra verò euadit maximo calore exusta ac torrefacta: vnde fit, vt non solùm flauum colorem exuat, tenuitatem amittat, sed etiam veluti propriam naturam exuens in aliam migret speciem ac naturã. Porracea verò, Aeruginosa & Isatodes ferè in stomacho generantur aut alimenti vitio, aut stomachi. Porracea quidem ex alimentis corruptis antequam chyli formã induant; ita dicta, qnòd porri colorẽ referat. Aeruginosa, quòd æruginis colore similis sit a nimio calore genita. Isatodes ceruleo colore prædita ex æruginosa magis adusta generatur. Cetęrùm illud est animaduer-

ten-

tendum, posteriores hosce humores gigni plerumque quidem, vt diximus, in stomacho; aliquando tamen etiam in hepate. nam Aeruginosa non solùm nascitur ex corruptis in stomacho edulijs, sed etiam ex mistione vitellinæ. Isatodes cum ex æruginosa magis magisque adusta nascatur, in iecinore potius, quàm in ventriculo nasci verisimile est. Porracea verò in stomacho solùm gigni videtur. ita censent classici auctores, a quibus dissentire in præsentia non libet.

Pituita etiam non solùm excrementitia, sed inutilis etiam in corpore reperitur, quę nimirum vel e naribus emungitur, vel expuitur e palato, excreatur e faucibus, extussitur e pectore, e stomacho euomitur.

Melancholia inutilis est, quæ nimium adaucta aut obstructiones in venis ac visceribus, aut scirrhos parere solet: quæ non solùm excrementitia inutilis, sed pernicioſa etiam censetur. Tot sunt humores Primogenij, Alimentares primarij, Alimentares secundarij, Excremēticij vtiles, Excrementicij inutiles. nunc verò agendū

De Temperamentis Cap. 6.

TEmperamentum, κρᾶσις a Græcis dictum, elementorum, humorumque

sequitur quæstionem. Cum elementa ita inter sese miscentur, ita vnius portio alterius portioni respondet, vt alter alteri sit æquale aut materiæ quantitate, aut viribus, nascitur Temperamentum, hoc est *Proportio ac symmetria qualitatum elementorum, singulis quibusque partibus ad actiones obeundas necessaria.* est quidē *proportio Qualitatum,* quia etsi non qualitates modò, sed substantiæ quoq; elementorum misceantur; tamen substantiæ communio Mixtio propriè dicitur; qualitatum verò societas Temperamentum.

Ceterùm animaduertendum est (quod sanè haud animaduersum video) hoc temperamentum esse quidem hominis, non tamen vt homo est, sed vt corpus naturale. Ex permistione enim elementorum, ex qualitatum proportione nascitur in mixto calidum, vel frigidū temperamentum; humidum, aut siccum: nascitur & in lactuca frigidum, in absinthio calidum, humidum in malua, siccum in chalamento, non minus quàm in neruo frigidum, in osse siccum, in carne humidum. Itaque hoc temperamentum, ex qualitate elementorum oriundum, æquè commune est naturali corpori & homini, vt homo est. Proprium verò ac peculiare hominis temperamentum est sanguineum, bilioſum, pituitoſum, melancholicum. Quemadmodum enim corporis naturalis immediata principia

sunt

sunt elementa; ita propria hominis initia sunt 4. humores. & sicuti in naturali corpore temperamentum nascitur ex certa elementorum & qualitatum parte ac mistione; ita in animali homineque temperamentum sequitur ex humorum peculiari quadam definitaque portione. Ergo si in prima hominis cōstitutione bilis abundet, hoc est, si duo illa principia, semen & sanguis menstruus bile magis quàm ceteris humoribus saturata sint, bilioſum in homine inseritur temperamentum: si verò abundet pituita pituitosum, sanguineum si sanguinis, melancholicum si melancholia. Itaque temperamentum sequitur variam proportionem humorum, hominem primò constituentium. Possumus ergo definire temperamentum hominis *Proportio quadam ac symmetria quattuor humorum, corpus humanum in eius primordio constituentium, ad hoc vt anima exercere posit in corpore actiones omnes naturales, vitales, animales.*

Dixi *quattuor humorum*, quia propria hominis principia sunt humores. nam etsi immediata proximaque semen & sanguis habeantur; quia tamen horū natura ac vis pendet ab humoribus, vtpote quæ ab ijs oriunda sint eorumq; naturam redoleant, propterea ex varia humorum portione ac vi hominis temperamentum constituitur.

Dixi *Corpus humanum in primordio eius constituentium*, quia insitum corpori natu-

raleque temperamentum præcedit humorum generationem: ne npe prius generantur omnes, quotquot sunt, corporis partes, quàm humores gignantur; prius corpus absoluitur perficiturque, quàm hepar sanguinem gignat. Ergo ante quàm iecur humores pariat, iam omnium partium ne dum ipsius hepatis temperamentum constitutum est. Illud verò animaduertendũ, humores generari postmodum similes illis, ex quibus partes constitutæ sunt: siue in corpore faciliùs gigni & augescere humores illos, qui in primordio generationis magis viguerunt. Quarè si partes corporis, exempli causa, iecur ex bilioſis principijs genitus sit, nempe ex bilioso sanguine ac semine, ad bilem gignendã magis procliuis erit: & ita bilioſum temperamentum bilem sibi creat. pituitoſum pituitam, &c.

Dixi *Ad hoc vt anima exercere possit actiones, &c.* quia ex perfectis organis constructum esse corpus necesse est, non solùm vt anima corpori inseratur; sed etiam vt commodè edere possit operationes: nisi enim anima benè constitutum nacta sit instrumentum, operare nequit. benè autem constitutum est, cum benè temperatum.

Iam verò temperamenta decem esse profiteor: quattuor simplicia, Calidum, Frigidum, Humidum, Siccum. Quattuor composita, Calidum humidum, Calidum siccum, Frigidum humidũ, Frigidum siccũ.

Sæpe

Sæpe enim accidit, vt vna solùm humoris qualitas vigeat, calor, vel frigus, humor, vel siccitas. vnde calidum, frigidumue, humidum aut siccum nascitur temperamentum. Aliquando duæ magis conspicuę sunt, calor & humor; calor & siccitas; frigus & humor; frigus & siccitas: vnde calidum humidumq; temperamentum gignitur, aut calidum & siccum; frigidum & humidum, vel frigidum & siccum. & sic octo cõstituuntur corporis temperaméta.

His verò nonum accedit, qui εὔκρατον Græcis dicitur, hoc est, absolutum atque perfectum, *Ad pondus* a barbaris dictum. Hoc animo potiùs quàm reipsa reperies, vt ait Heurnius ex Galeno, nempe quia a perfecto absolutoque temperamento ne transuersum quidẽ vnguẽ recedit. Animo tamen compræhenditur huiusmodi temperamentum, vt medici regulam habeant, ad quam tanquã ad perfectum & absolutum cetera temperamenta referant: sitq; veluti Polycleti statua Astragalizontes, ad cuius exemplum quò quisque propiùs accedebat, eò excellentiùs scalpere censebatur: sic temperamenta quò propiùs ad εὔκρατον accedunt, eò perfectiora habentur: quò longiùs recedunt, eò imperfectiora.

Est demum decimum temperamentum, *Ad iustitiam*, quod vnicuique speciei & indiuiduo in naturali ac perfecta conditione

constituto debetur. non enim in hoc temperamento graduum æqualitas spectatur, sed conditio illa speciei propria: quam cum quis assequitur, perfectè temperatus censetur, temperamento nimirum ad iustitiam. Ossa v.g. dicuntur ad iustitiam temperata, non quæ adepta sunt æqualitatem in qualitatum gradu, sed quæ talem mediocritatem, quæ generi suo conueniat; siccitatem nimirum & frigus ossibus proportionatum. sic etiam caro, neruus, cartilago, ceteraque. Et hæc dixerim *de Partibus Similaribus*.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA

De Partibus Organicis.

SImilarium partiũ natura, quantùm Institutionum, vestrique tyrocinij ratio postulat, iam patefacta, Dissimilarium naturam perscrutari debemus. Partes igitur dissimilares ὀργανικαὶ, & ἀνομοιομερεῖς Græcis dictæ, *sunt quæ non ex partibus eiusdem naturæ, sed specie differentibus constant.* Appositè, mea quidem sententia, diuidi possunt in tres classes, in Animales, Vitales, Naturales, ideſt, in organa, instrumentaque animalis, vitalis, naturalisque facultatis. Horum autem quælibet in Principem & seruientem, hoc est, in eas, quæ regunt gubernantque, & in eas, quæ gubernantibus seruiunt & ancillantur.

Princeps organum virtutis seu facultatis Animalis est Cerebrum: organa verò huic seruientia bipartita sunt, in ea quæ sensui, & in ea quæ motui ancillantur. & ad sensum quidem Oculi, Aures, Nares, Lingua, Cutis. Ad motũ verò Musculi. Ad vtrumque Nerui. Ergo hæc secunda sectio in tria Capita distributa est. Primum caput organa, quæ ad virtutem animalem spectant,

ctant, inuestigat: secundum quæ ad vitalem; tertium quæ ad naturalem. Singula verò capita in plurima membra distributa sunt: primum membrum Quæstionem, scientiamque de Cerebro, deque principibus eius facultatibus comprehendit. Secundum de Oculis ac proinde de visione. Tertium de Auribus & auditu. Quartum de Naribus & olfactu. Quintum de Lingua & gustatu. Sextum de Cuti & tactu. Septimum de Musculis & motu. Octauum de Neruis. imò verò secundo membro de Neruis agendum, tum quia immediatè e cerebro prodeunt, tum quia natura præcedunt omnia & sensuum & motus instrumenta. Et hac ratione quidquid ad animalis facultatis scientiam, quidquid ad principes omnes internos sẽsus, ad omnes externos, motumque pertinet, quisque sibi comparabit.

Iam verò eodem ordine, facilique ac perspicua methodo de Organis facultatis vitalis agemus. Hæc autem cum vel primaria sint, vel seruientia; in primo membre agemus de Principe id est Corde eiusque vi & facultate: in alijs de seruientibus. Hæ duplicis sunt generis: vel enim seruiunt respirationi, vel pulsui. nam cor æget vtroque, respiratione quidem, vt eius temperetur calor ab externo aëre per inspirationem interiùs attracto; pulsu verò vt expellantur fuligines in æstuante corde ge-

genitæ. In secundo igitur membro agemus de partibus organisque attrahendo aëri accomodatis, vt de Larynge, Aspera arteria, pulmone, musculis thoracis. In tertio membro agendum nobis erit de Arterijs, cordis necessarijs instrumentis ad euomendas fuligines &c.

In vltimo huius sectionis capite agemus de Organis virtutis Naturalis: quæ cum sit Altrix, Autrix, & Generatrix; primo de Altrice, & Auctrice, deinde de Generatrice agendum. Et altricis quidem instrumenta vel primaria sunt, vel seruientia; in primo membro Primarium tractabitur, nempe Iecur, in alijs famulantia: quæ cũ vel præparantia sint, vel expurgantia, vel distribuentia alimẽtum; ideò in secundo membro agemus de Præparantibus, nempe de Ore & stomacho, in tertio de Expurgantibus, hoc est, de Intestinis, quæ chyli fæces expurgant; de Cista fellis, quæ sanguinis bilioſum excrementum; de Liene qui melancholicum; de Emulgentibus, Renibus, & Vesica, quæ seroſum excremẽtum emundant. In quatro de Distribuentibus, i. venis. & ita Altricis seu nutritiuæ facultatis, & simul etiam Auctricis, scientiam vnusquisque adeptus erit. Iam verò quod facit ad Generandi vim, quæ tertia est inter naturales facultates; hæc quoque instrumenta habet & primaria & famulãtia. Illa sunt Testes & Vterus: hæc verò vasa

spermatica, penis &c. itaque in quinto membro de testibus ac semine agendum, item de Vtero & sanguine menstruo. in sexto de Pene ceteriq; instrumentis generationi seruientibus: & ita vniuersa de Generatione absoluetur quæstio.

De Cerebro
Cap. I.

TAnta est cerebri præstantia, vt non solùm ceteras omnes corporis partes dignitate præstet, sed etiã nescio quid diuinitatis habere videatur. Sanè Homerus θ'ρανὸν id appellat: & meo quidem iudicio, non iniuriã, cum sicuti cælum domicilium est beatarum mentiũ, ita cerebrum rationis sedes, qua proximè ad Deum accedimus. Eius nomine intelligimus, medulosam illam substantiam, quæ intra cranium continetur: Rotunda præditum est figura, quia hęc omnium perfectissima est, duabus tegitur membranis, & obuallatur durissimo cranio, vt externas propulset iniurias. substantia præditum est molli, alba, & vt diximus, medullari, ex purissima nempe seminis parte genita. Mole Ingens est, & omnium animalium magnitudine præstat, nimirum, vt intelligamus ad ratiocinandum a natura factum esse; non ad

ad brutorū munia obeunda; Situm est in editissimo corporis loco, vt oculis cōmodius vti posset, tanquam exploratoribus, vtque appareat eum esse veluti regem ceterorum membrorum, quibus quasi in regia, ac suprema corporis parte sedens, imperet. *Est igitur cerebrum facultatum animalium, hoc est, principum sensitiuarum, & motiuarum omnium sedes, animalium spirituum officina, ac seminarium, & neruorum, principium;* Quod cum ita sit, peroportunè me facturum puto, si horum omnium facultatum rudimento aliquo vestrum informem animum. Cum verò facultates principes triplices sint, in primo, huius capitis membro de hisce omnibus agemus, hoc est

De Imaginatione, Ratiocinatione, & memoria Membrum 1.

IMaginatio φαντασικὴ Græcis dicta, est illa animi facultas, qua comprehendit obiectas sibi rerum imagines a sensibus externis. fit enim, cum facultas, & spiritus in neruos diffusi, hauriunt ab externorum sensuum instrumētis impressas ab obiecto imagines, cerebroque deferunt. Vis enim illa cerebri cognoscit quidem species, ideamque rerum, nihil tamen affirmat, nihil

negat, sed quales sibi a sensibus delatas accepit, iudicio ac rationi examinãdas committit: circa quas versatus intellectus, ait, ac negat suo arbitratu. Iam verò hæ ambæ, imaginatio scilicet, & ratiocinatio, eas omnes species concredere solent Memoriæ, fidelissimo specierum custodi, vt cum libet, inde repetere, & depromere possint, tanquam e ditissimo hærario. Horum omnium mirabilis planè vis est. Imaginatio ea præstat, quæ natura ipsa admiratur ac stupet. cum intenditur figiturque embryoni, longo satis interuallo dissito, imprimit alienissima; tenelli corporis structuram speciemque deformat, mutilat membra, numerum auget, mutat situm, colorem obducit naturali dissimillimum. Hęc (vt eleganter describit Barlęus) licet omnes interni externiq; sensus ocientur, non tamen feriatur: somnio videt omnia, intelligit omnia; etiam ea, quæ non possidemus, per imaginationem quandoq; cum magna animi oblectatione adipiscimur. ditissimi per eam euadimus, etiam si maximè egeamus: Reges sumus, etiam si planè seruiamus. quod adeò verum esse, imaginatio nobis persuadet, vt & suauissimè eis oblectemur, & succenseamus, cum eiusmodi per imaginationem concepta, futilia esse intelligimus. vnde qui medicorum opera cognouit se regem non esse, *Perdidistis, inquit, non seruastis amici:* adeò ni-

nimirum ea imaginatione delectabatur. Tam firmè quandoque hæret, vt nulla poſſit ratione auelli; tam valet polletque fixa, vt quodlibet animo ac rationi perſuadere audeat: Cuidam ſe naſu habere pedalem atque cubitalem perſuaſit; alio vitreum habere caput, alio clunes vitreas. Columbam eſſe alio, alio murem, dolium, cartaceum; imò verò noui, qui imaginabatur ſe dæmonem eſſe, alium qui Deum, alium qui Imperatorem, alium qui Pontificem Maximum. Noui & alium, qui ſpinoſo & aculeato nodo gulam præmi atq; intercludi vociferabat, ſeque propterea ne tantillum quidem ingerere poſſe, vel iuratus affirmabat, & tamen Cappuccino habitu ſe Deo, ac D. Franciſco multos iam annos addixerat: quem certè dolo curauimus. nam inter vomendum ab helleboro exhibito, in amphoram humores vomitione reiectos excipientem, iniecimus clam, Cappucinoq; inſcio, nodum prægrandem aculeis plenum, & ad id paratum. Ille viſo nodo, nobis acclamantibus, manus ad cælum tollit, Deoque immortales gratias egit, quòd tandem ab immani morbo, dæmonibuſque euaſerit. Manibus prætereà gulam & œſophagum contrectare cæpit, atque certiùs explorare, num quidpiam reliqui factum ſuerit, identidem deglutire pituitam, panem, aliaque, quibus certior fieret de abacto iam malo dæmone, deque

nodo

nodo aculeato reiecto. Imaginationis igitur magna vis est, ac planè mirabilis.

Neque minori admiratione spectamus memoriam. tanta enim huius est præstantia, vt bardus sit atque stupidus, qui eam non miretur, non stupeat. Infinitas propemodum rerum species non recipit modò, sed fidelissimè conseruat inconfusas: poscente vsu ac voluntate, ordine promit omnia, singula refert ad miraculum vsque Scripsimus in nostra *Dissertatione de Vnguento Armario*, iuuenem Corsum ea præditum fuisse memoria, vt triginta millia nomina græca, latina, gallica, barbara, significantia, nihil significantia, nullo inter se ordine coniuncta, semel tantùm audita repeteret eodē plane ordine, quo dictata fuerunt, vt Muretus testatur in Varijs. Mirari solebam Cyrum, qui milites omnes maximi sui exercitus nomine proprio appellabat: Cæsarem, qui simul legere, & tres quatuorue litteras dictare consueuit: Senecam, qui ducentos versus a se semel auditos recitaret: Mithridatem, qui viginti duo populorum linguas callebat. sed nugę sunt hæc, si Corsum attendimus. De Intellectu ac vi ratiocinandi satius est reticere, quàm pauca dicere: illud silentio pręterite nequeo, hac vna facultate longissimè nos ab alijs animantibus recedere, ac proximè accedere ad Deum. Diuina hæc vis est, cælitusque demissa: intelligit quæ sunt,

quæ-

quæque non sunt ; diuidit discernitque, quæ nullo possunt modo discerni diuidiq; Animalitatem, vt ita loquar, abstraxit ab homine quę nulla prorsus ratione abstrahi diuellique potest. Constituit ea, quæ natura coagmentare nequit. Res mole immensas exiguo suo ambitu comprehendit. Immotus quoquouersus tęporis momẽto pertingit, cælos penetrat, Diuos Deumq; adit. sed video me abripi ab eius præstantia, deducique extra chorum. Hactenus igitur facultatum principum eximia vis.

Num verò hæ diuersas in cerebro sedes collocauerint, an potius vbique omnes, & sine vllo ordine insederint, non satis constat apud omnes. Arabes eorumque principes Auicenna, & Auerroes, esse loco, ac sede discretas: in anteriori cerebri parte vẽtriculum quendam, ac veluti foueolam esse aiunt, vbi imaginatio sita sit. In medio cerebro, alium esse ventriculum, in quo ratiocinatio: in postremo esse alium in quo memoria inhæreat. Ratione id videntur probare, satis aperta; nam vna facultas, altera illæsa, lædi potest: imaginatio, afficitur, integro iudicio; vt ex historia liquido constat, a Galeno allata, de Theophilo, qui perperam imaginatus, tibicines obstrepere in angulo cubiculi, rectè ratiocinabatur eijciendos esse, ex turbandosque. Ratio quoque lædituꝛ, maleq; afficitur ceteris non affectis: constat id ex

hi-

historia a Galeno de phrenitico relata, qui obseratis intus ianuis a prætereuntibus nominatim appellatis suscitabatur, num iuberent e fenestra a se proijci vasa proprijs nominibus, ordineque recensita: in quo sola ratio læsa erat. Memoria, & ipsa læditur ceteris integris. apertè id comprobat Tucydidis historia, de ea, quam describit, peste. nam fuerunt, qui propriorum etiam nominum obliti fuerint, sano iudicio & imaginatione. Præterea, diuersa est cerebri substantia, anterioris mollior, nempe vt promptiùs exciperet rerum imagines, posterioris firmior, vt firmiùs exceptas retineret: media medio quodam modo se habet, ratiocinationi magis idoneo. Demum sinus, & caueæ, quas in cerebro esse, docent Anatomici, id clarissimè testantur. nam ideò in anteriori parte natura vnum sinum efformauit, in posteriori aliũ, & alium in media, vt facultates diuersis sedibus inhæreant, & vna ab altera locis discreta non confundatur.

Ceterùm longè aliter a Galeno statutum est: putat enim facultates omnes vbique locorum insedisse, & alteram ab altera non loco, sed vi & energia solum dissidere. nam 8. de Vsu partium ait, facultates non solũ in caueis ac finibus, sed in toto etiam cerebri corpore omnes contineri. & lib. 3. de Placitis, & sexcentis alijs in locis, vt notat Laur. id attestatur. Suadet id ipsum ra-

tio

tio non contemnenda: nam & attratrix, & retentrix, imò & expultrix, quæ illi contraria est, in eadē parte vnà omnes amicè coeunt: quod si ita est, quis adeò hebes est, qui miretur, tres simul facultates in cerebro simul degere, quæ nulla inter se contrarietate dissociantur, sed altera alteri amicè inseruit? nam Phantasia memoriæ rerum species committit, memoria obiectat easdem rationi, cum vsus poscit. Lædi autem solam memoriam ratiocinatione illæsa, mirum nō est, quia & vna retentrix sæpe læditur, nulla planè noxa expultrix affecta; & attratrix non rarò nullo præmitur morbo, coctrice languescente, ac ferè collapsa. Anterioris verò cerebri mollior substantia, durior postrema non arguit diuersam facultatum sedem, sed solùm conuincit, ibi promptiùs, hic perfectiùs facultates edere operationes. nam mollior cerebri substantia promptiùs operatur, durior paulò segniùs, perfectiùs tamen. Phantasia, quæ subiecto gaudet molliori, vt promptiùs excipiat externarum rerum species, suas in sincipite perfectiùs edit operationes: Memoria, quæ paulò duriori inhæret subiecto, vt acceptas a phantasia species diutius conseruet, in occipite firmiùs tenaciùsque suo fungitur munere; non tamen sequitur, vt vel ea in sincipite solùm sita sit; vel hæc in solo occipite. De caueis cerebri ac finibus non est cur multū la-

laboremus. In anteriori elaborantur spiritus, perficiuntur in posteriori: horum elaborandorum causa sinus a natura efformati sunt. Qui plura desiderat hac de re Laurentium adeat. nos enim epitomæ studemus, quæstionibus parum intenti.

De Neruis Motus & Sensus Communibus Instrumentis Membrum 2.

CVm cerebrum, facultatis animalis instrumentum non solùm principum operationum principium sit, vt mox vidimus; sed etiam sensus & motus; iurè de sensus motusq; instrumentis agendum est. Instrumenta autem, duabus hisce functionibus seruientia, cum vel communia ambobus, vel singulorum propria sint; primò agẽdum videtur de communibus, deinde de proprijs. Communia sunt nerui, sensui motuique æquè seruiẽtes. peculiaria verò permulta, vt sensus quidem Oculus, Auris, Lingua, &c. motus verò Musculus, & si quæ sunt, alia, de quibus inferiùs.

De neruis autem hic agemus, vt instrumenta sunt. nam etsi in prima sectione recensiti a nobis sint inter similares partes;

ta-

tamen reuera sunt instrumentales & compositę: constant enim ex duplici substantia medullosa interiori, & exteriori membranea. illa vera est neruorum substantia, per quam spiritus & vis mouendi sentiendiq; vniuerso corpori communicatur. Hæc tunica solùm est membranea, illam inuestiēs Nerui igitur sunt instrumenta deferentia mouendi ac sentiendi virtutem mouendis, ac sensituris partibus. nam hauriunt e cerebro spiritus ac facultatem animalem, & partibus deferunt atque impertiuntur. Oriuntur omnes vel a cerebro, vel ab ea deriuata spinali medulla: omnes coniugati sociatiq; sunt, & propterea Paria seu coniugia dicūtur. Eorum, qui e cerebro tracti sunt, septem coniugia antiqni esse censuerunt. Columbus & Fallopius, Laurentij calculo anatomicus oculatissimus adiunxit alios complures. Omnes, vt dictū est, vel sensui vel motui seruiunt. illi ex Galeno molliores, hi duriores sunt, quippe ad sensum nullus conatus (sentire enim est quoddam pati, ait Aristot.) ad motum contentio conatusque magnus, quippe mouere sit verè agere. Primum igitur eorum coniugium, qui e cerebro deducuntur, sunt Optici seu visorij, qui ex anteriori cerebri parte oriundi in oculos inseruntur, videndi facultatem deferentes. Secundum coniugium ab eadem cerebri parte profectum, migrat tum in ipsos oculos, tum in pal-

palpebras, vt ea vndequaq; moueat. nam oculos sursum, deorsum; dextrorsum, sinistrorsum mouet; palpebras attollit ac deprimit. Tertium non ex anteriori parte, sed ex paulo posteriori ducit originem, & in linguæ tunicam, princeps gustatus organum, inseritur. ita censent Galenus & Vesalius, qui tamen a nostro Columbo reprehenduntur, quippe nerui in linguam gustatus gratia delati, sint e quarta coniugatione non e tertia profecti. Sed hæc viderint anatomici, quorum munus est ea diligentiùs inuestigare. Quarta coniugatio ex Galeno erit, quæ & ipsa in linguam excurrit atque in palatum eiusdem gustatus causa. sed maior pars huius coniugationis in vicinas partes extenditur. nam ad musculum temporalem, ad superciliũ, frontem, nasum, labra, radices dentium, maxillas ceteraſque partes deriuatur. Quinta fertur ad aures, indeque plurimis ramulis ad laryngem, ac linguæ musculos. inde mira aurium, linguæ & laryngis sympathia. Sexta omnium maxima e posteriori cerebro oriunda per omnia ferè viscera propagatur: nam multifariam diuisa hæc coniugatio excurrit in vocis instrumenta, in costas, stomachum, atque ad thoracem, abdominem totamque anteriorem partem delata sensum ijs omnibus partibus præbet. Septimum coniugium e postremo cerebro, non e cerebello, vt censuit Galenus,

ori-

Digitized by Google

originem ducens ad laryngis, & ad linguæ musculos deriuatur motum eis impartiēdi causſa. Has neruorum coniugationes, siue, vt vulgò loquuntur, Paria, cognouit Galenus ceterique posteriores vsq; ad Fallopij & Columbi doctissimorum anatomicorum tempora; qui adeundi sunt, cum nouas eorum coniugationes inuenerint. Columbus noster lib. 8. cap. 3. multa scribit eaque præclara; Fallopius & ipse scitu digniſſima.

Iam verò nerui a spinali medulla oriundi breuiter enarrandi sunt, vt absolutam eorum epitomen consequi possitis. Spinalis medulla est ipsum ipsum cerebrum productum, &, vt vulgari verbo vtar, elongatum e postremo cerebro per vertebras ad vsq; os sacrum. Est eadem, qua cerebrum, substantia prædita: distat solùm, quia cerebrū diastolen vt systolen, vt cor, habet, medulla verò ijs omnino caret. ductus vertebrarum seu fistula, per quam effluxit medulla, discurritq; e cerebro ad os sacrum, munitus est duplici tunica a pia, duraque menigne orta, quibus, vt cerebrum, medulla tegitur. Mendosè: triplici munitur membrena ac tunica. nam tertia addenda est crassior, durior, firmior, vt ne inflexa spina, medulla effluat, duabus prioribus disruptis tunicis. Prodeunt autem e spina tot ferè neruorum paria, quot sunt eius vertebræ seu nodi. Prima coniugatio e prin-

principio medullæ manat, exilis quidem, ac tenuis, ac proinde haud longiùs excurrit, sed eidem vertebræ incumbentibus musculis inseritur. Secunda fluit e regione interiecta inter primam secundamq; vertebram. huius ramuli ad aures feruntur, ad posteriora capitis, ad verticem, circumiectosque musculos. Tertia per foramina inter secundam tertiamque vertebram patentia prosilit, & in quatuor sciſſa ramulos in musculos, maxillas mouentes, sese inserit; in eos qui caput retro flectunt; in colli cutim, & in nonnullas alias partes. Quarta, non secus ac tertia e foramine, inter tertiam & quartam vertebram hians, prodit erumpitque, seseq; inserit in musculos capiti ceruiciq; communes, qui retro caput detorquent, quique maxillas mouent: deorsum verò descendentes in musculos stomacho substratos, in septum transuersum aliòque sese inserunt. Quinta, vt ceteræ omnes, e foramine prosilit, inter quartam & quintam vertebram sito, bipartitur, eiusque altera pars quintæ coniugationi inseritur, ac proinde eiusdem sequitur diuaricationem. altera verò sextæ consociata, ei obsequitur & quoquouersus vna cum ea producitur. Sexta e sextæ vertebræ principio ducens originem, variè sese explicat funditque: nam primo quidem ad scapulas permeat, deinde verò ad septum transuersum, aliòque pertingit. Septima e

pro-

proximo vertebræ foramine erumpens in brachium sese inserit, in caput, in cervicem, & mox deorsum vergés in diaphragma fruticatur. Octaua haud absimili modo ex octaua pullulans, in brachium vlnamque propagatur. Nona tota fertur in extremas manus digitosque. Decima, ceteraque omnia, ex dorsi vertebris, lumbis, & osse sacro orta coniugia, sexcentis propemodum surculis quoquouersus sese fundunt. Et quidem ex singulis dorsi vertebris singula manant neruorum coniugia. Prima quidem coniugatio, e prima eius vertebra manans, nona est, si spinæ ordinem sequamur. nam post octauam spinæ vertebram, dorsi vertebræ incipiunt ad os sacrum perreptantes. qua quidem coniugatione explicata ad alias aggredi oportet. Omnes, e dorsi vertebris fluentes, neruorum coniugationes sunt numero duodecim, quæ longè latèque fruticantes vndequaque pertingunt. nam & in musculos mesopleuros sese inserunt, in eos, qui spinæ incumbunt, in abdominis musculos, atque thoracis, omnesque huius partes; in humeros, in scapulas, in cetera. Qui verò e lumbis profecti sunt nerui aut posteriores externosq; musculos adeunt, aut neruis, e sexta cerebri coniugatione profectis, confusi in interiores musculos peruadunt. Demum ex osse sacro oriunda neruorum coningia, in crus omnia fruticantur. Hæ sunt omnes e

ce-

cerebro vertebrisque orta neruorum coniugia, breuissima epitome comprehensa. quæ quidem omnia sunt numero octo ac triginta. nam e cerebro octo manant, ex medullæ spinalis superiori parte ad vsque dorsi vertebras totidem, cum totidem fit vertebræ; ex dorsi vertebris duodecim; ex lumbis quinque, totidem ex osse sacro.

Iam verò hi omnes quotquot sunt nerui ea de causa fabrefacti sunt a natura, vt sentiendi mouendique facultatem e cerebro haurientes singulis quibusq; partibus eam impertiantur. per neruos enim tanquam per ductus ac fistulas vis animalis e cerebro vndequaque manat, quoquouersus peruadit. Hoc iam inde ab eo tempore, quo Galenus medicinam planè illustrauit, fulciuit & in perfectissimam methodum redegit; ratum semper firmumque fuit; nemine vnquam contradicere, imò nec in quæstionem disceptationemque vocare ausо. Nos verò, qui non planè oscitanter in diuinis Hippocratis monumentis a primo ferè artis tyrocinio versati sumus, de eo tanquam nō planè explorato, & apertè Hippocratis sententiæ repugnante, publicè priuatèque disseruimus: non quidem eo consilio, vt quod apud Galenum atque omnes planè medicos antiquos ac recentiores, quod apud Academias omnes ratum iam firmumque fuit, ratione & experimento comprobatum; labefactaremus:

sed

sed vt clariùs veritas innoteſceret, & aliqua veritatis lux Hippocratis doctrinæ affulgeret. Hippocratis autem locus eſt lib. de Natura Oſſium 17. *Oſſa corpori firmitatem, rectitudinem & formam præbent: Nerui verò flexionem, contractionem & diſtentionem: Carnes autem & cutis omnium colligationem & connexionem: Vena* (cuius nomine etiam arterias intellige) *per corpus diffuſa ſpiritum, fluxionem, & Motum exibent.* Quid apertiùs? Venæ arteriæque motum exibent. & ſanè ſi rem paulò altiùs perpẽdere lubeat, haud planè incongrua videbitur. Vis mouendi, quæ maxima interdum, ac velociſſima ſit oportet, cum athleta lucta aut pugilatu maximè contendit, cum vehementiſſimo robore alium propellit, cum velociſſimo curſu quaſi volat, non e cerebro per neruos deriuari poſſe videtur, tum quia copioſa & vberrima, ne deficiat; tum quia valde calida, tenuiſq; ſit neceſſe eſt, vt promptè, ictuque oculi ad artus aduolet. ergo nõ e cerebro, in quo ſpirituum longè minor copia, quàm in corde; non per neruos, per quos pauciores, quàm per venas & arterias in partes artuſque deriuantur. veriſimiliùs ergo videtur, mouẽdi facultatem ex corde vberrimo ſpirituum fonte, per arterias amplos ac patentes ductus in artus, ſumma contentione motos atque agitatos, deriuari. Quod ſi celeritatem illam ſummam cithariſtæ ſpectemus,

vix nobis persuadebimus, incredibilem illam manuum celeritatem ex spiritibus nasci, non quidem feruentibus in corde, sed frigescentibus in cerebro; nõ attenuatis in caloris foco, sed crassefactis ac propemodum torpescentibus in *Sede frigida & glutinosa*, vt Hippocratis verbis vtar; non per expeditas patentesque arteriarum vias, sed per angustos imò cęcos neruorũ ductus. vix enim credibile videtur, spiritus, motus auctores, vt celerrimum eiusmodi motũ edant, necesse esse, vt ę corde calidissimi ac tenuissimi profecti in cerebrum peruadant, vt ibi refrigerati ac crassefacti per impeditas neruorum vias, per cęcos eorum ductus ad artus deducantur potius, quàm sua vi agantur.

Inquies, quid verbis opus esse? quid rationibus? non ne experimento constat apertissimo, scisso neruo vulneratoque, imò verò puncto artus motum interire? quid igitur clarius docere potest, mouẽdi vim per neruos e cerebro deriuari? Firma sane ratio, apertum experimentum: sed caue, ne oscitanter potius, quàm acutè agas. Sciſſo neruo læditur vel etiam planè interit motus: fateor: Ergo per neruum vis mouendi deriuatur in artus; peruicaciter nego, neque gratis. Nerui sunt præcipua ac necessaria motus (quod de motu dicitur, de sensu idem ferè intelligas) instrumenta, nempe quia *flexionem, contractio-*

ctionem ac dissentionem præstant, non enim flecti potest artus, non contrahi, neq; distendi laxarique sine neruo, vt docuit Hippocr. loco nuper laudato. Scisso igitur vulneratoque, eiusmodi flexionem, contractionem atq; adeò distentionem perire necesse est. Itaque ex eo, quod læso neruo lædatur motus, intelligere non possumus, neque certò conuincere, vim mouēdi per neruos in artus deriuari, sed solùm neruos esse præcipua ac necessaria motus instrumenta, quod Hippocrates etiam & fatetur & docet loco citato. Per arterias igitur vis mouendi e corde in omne corpus manat vberrima.

De sensu verò eadem ratio est: nam etsi nerui solùm, aut neruea tantùm partes sentiant, non tamen certò probatur, sentiendi vim e cerebro per neruos deduci & hauriri: nam partes omnes neruea sunt quidem sensus instrumenta, sed tamen vim ac facultatem ab arterijs mutuantur. ex his enim effluunt spiritus facultatem deferentes in partes sensu præditas, atque ita sensatio perficitur. Sicuti enim ex communi ac peruagata omnium sententia partes, ad quas nerui non pertinent, sensu tamen præditæ sunt, virtute nimirum, vt aiunt, per quamdam veluti irradiationem e neruis transfusa; ita nerui etsi sensiferi non sint, sentiendi tamen vim ab arterijs mutuati planè sentiunt. Itaque neque id

conuincit, quod in medium afferri poteſt, Nerui maximè omnium ſentiunt, ergo ſenſiferi ſunt, ſentiendi nimirum facultatem deferentes: quia ex eo, quod maximè ſentiant, maximum eſſe inſtrumentum ſuadent, ad ſentiendum neceſſarium; non verò ſenſiferos eſſe.

Hæc non eò ſpectant, φιλιάτρους, vt vobis perſuadeant, neruos nòn eſſe ductus, qui mouendi ſentiendiq; facultatem e cerebro haurientes vniuerſo corpori tradāt. Si enim id agerem, vt ea probarem, ſanè apoplexiam, epilepſiam, & conuulſionem venarum, non neruorum vitio naſci oſtenderem ex Hippocrate plurimis in locis, ex Galeno, ex Aretæo, ex Sallio, ceteriſque. Ergo, inquies, apertè pugnant Hippocrates & Galenus, apertè vterq; ſibi mutuo cõtradicunt: ſanè prima fronte id omnino videtur, ſed tamen aliqua iniri poteſt ratio, per quam hi medicinę principes veluti ſimultate depoſita concilientur. Calor eſt, qui omne in animali fungitur munere, calor, inquam, ſpiritibus inſitus. Calor enim, inquit Galenus, vel eſt anima vel præcipuum animæ inſtrūmentum, qui omnia in viuente peragit. Itaque ſpiritus animales per neruos e cerebro deducti, cum & copia ſint pauci, & calore frigidiuſculi, adeò vt ad vehemẽtem motum ac celerrimum impotentes ſint; e venis & arterijs in neruos conuolant ſpiritus calidiores, tenuio-

res,

Digitized by Google

res, vberiores vt ijs laborantibus suppetias ferant. Si mediam hanc viã ineamus, haud planè incongrua loquemur, & ab Hippocrate Galenoque non omnino aliena. Sed vt vt est, illud ratum sit, neruos vera esse instrumenta sentiendi, mouendiq; facultatis, verà organa vtriusque virtutis communia, cuius gratia hanc de neruis dissertationem instituimus.

De Organis Externorum Sensuum, & Primo de Oculis & Visus facultate Memb. 3.

COmmunibus sensus motusq; instrumentis enarratis, ad particulares aggredi oportet. & quia sensus motum dignitate præstat, & oculus ceteros sensus longè antecellit, ideo de sensu primò oculoque agendum est. Oculus est visus instrumentum mirabili arte constructum ex tribus humoribus, albugineo, chrystallino & vitreo, ex septem membranis, humores illos continentibus, adnata, cornea, vuea, aranea, retiformi, secundina, atque dura. Hæ omnes quamuis nomine distinctę sint, re tamen, vna excepta adnata, cõueniunt. nam cornea & dura vna est eademque tu-

nica; vuea & secundina eadem; eademq; aranea & retiformis. sortita sunt varia diuersaq; nomina ob varios, quos præstant, vsus. Hisce tunicis humores variè discreti efformant oculum rotundum quidem ex anteriori parte, ex posteriori in acutum desinentem, pyramidis more. His accedunt multæ venæ, arteriæque multæ, musculi, nerui, præcipuè verò nobiles illi Optici dicti, per quos e cerebro videndi facultas in oculos inseritur. nam hi e posteriore inferioreque cerebro profecti in medio itinere sese veluti cruce facta, siue potius χ græca, interfecant atque miscentur: inde disiuncti alter alterum oculum petit, seseq; in chrystallinum humorem inserit. Cum verò duas tunicas habeant a tenui duraq; menigne profectas, alteram expandit in tunicam Vueam, alteram in Corneam, & ita spiritus animalis e cerebro fertur in chrystallinum præcipuum visionis organũ. Oculi igitur, mutuati e cerebro per hosce neruos facultate, corpora sibi obiecta vident, eorumque species per eosdem opticos Phantasiæ obiectant. Vtrũ verò emissis effusisque ex oculo radijs fiat visio; an externarum rerum speciebus in oculum confluentibus, implicitum satis & inexploratum est. Antiqui penè omnes philosophi censuerunt, visionem fieri emanantibus ex oculo opticis spiritibus, vt Pithagoras, Empedocles, Plato, Democritus,

Epi-

Epicurus, Chrysippus, ceterique omnes Academici ac Stoici, vt Laurentius ordine omnes enarrat. Aristoteles, omnibus peripateticis assentientibus, censet receptis in oculum obiectorum speciebus fieri visionem. Galenus verò Peripateticorum & Academicorum Stoicorumq; pacificationi sese interponens, vtrumq; asserit, emitti nempe quippiam ex oculo, recipique ex obiecto quippiam. Et sanè ex obiecta re species opticas emanare, illud meo quidem iudicio planè conuincit, quod in speculo quisque videat suam imaginem: quod profectò non contingeret, nisi ex obiecto in speculum species effluerent. Illud etiam id ipsum fideliter suadet, quod alter in aqua (meum est argumentum) alterius imaginem videat, in altera fluminis ripa stantis: argumentum id est apertissimum, species ex alio in aquam effluxas angulo facto in alius oculum flecti. non enim alius obtutum figit in alium, sed in aquam, e qua species in oculum feruntur.

Quod verò aliquid etiam ab oculo effluat, Galenus facit vt credam; nam & lib. de Vsu Par. & de Placitis id apertissimè profitetur. Facit, inquam, Galenus id vt credam, quia rationem nullam video, quæ id suadeat. nam quia basiliscus obtutu hominem interimat, quia mulierculæ oculis fascinare dicantur, quia menstruata mulier speculum inficiat, quia luporum aspectus

laucum reddat hominem, quia Tib. Cæsar solo aspectu attonitum reddiderit militē, sunt meræ nugæ, vt præclarè Laurentius, a quo horum plurima hausimus (quæ enim ex alijs promo, promptisse vltro cōfiteor, ne auctor sua laude, magno labore parta, fraudetur) censet. Hæc hactenus: nam & quæstiones hic leuiter, ac primoribus, vt dicitur, labris degustare; & anatomen rudi quodam modo tractare, tyronum captui consulentes, principiò statuimus.

De Auribus & Audiendi facultate Memb. 4.

AVres iure optimo ab Aristotele dicuntur disciplinarum instrumenta, auditus earumdem sensus, cum ad omnes artes, scientiasq; capessendas sint non modò vtiles, sed planè necessariæ. nullus enim est, qui auditu carens, non artes scientiasq; solùm ignoret, sed loquutionis etiam non fit expers. instrumentum sensusque, est adeò necessarius, vt *Etiam dormientes eo egeamus*, vt est apud Ciceronum 2. de Nat. Deorum. Duplex ab Hippocrate censetur auris, externa, internaque. Illa est, quam sensu cognoscimus: hæc, quam intus latere, verumq; esse auditus organum ex anatome

tome intelligimus. Itaque ea, quippe satis nota, prætermissa; hanc breuiter indagabimus. Quatuor hic meatus: primus oculis patet, angustus, oblongus, rotundus, tortuosus, per quem aër verberatus ingreditur: hunc terminat finitque tenuis, densa, siccaque membrana, Tympanum dicta, quò verberatus externus aër appellit. Alter, cochlea vel puluis nominatus, post tympanum patet, in quo implantatus aër, prȩcipuum auditionis organũ, coercetur. Plurima hinc inde organa sita sunt, hanc caueam meatum ve efformantia, vt tria, officula, chorda, musculi, fenestellæ in palatum vergentes, & alia ex anatomicis subtiliùs petenda. Tertius meatus est Labyrinthus, ab anfractibus & cuniculis, quos variè hinc inde agit, nomẽ adeptus. Quartus a Fallopio Cochlea, (quo nomine secundus ab Aristotele vocatur) ab alijs cæcus. In hæc autem instrumenta mirabili a natura arte fabrefacta neruus auditorius e quinta coniugatione deductus inseritur, per quem vis sẽtiendi, siue spiritus animales, & e cerebro ad aures ducuntur, & ab auribus ad cerebrum feruntur sõni species; fitque auditio. De qua animaduertendum est, sonum esse verum auditus obiectum, vt visus color esse dicitur. Sonus autem est qualitas, ex verberato aëre a duobus corporibus duris solidisque inter sese collisis, emanans: quæ quidẽ qualitas

cum per aërem, cui inhæret, in interiorem aurem fertur, seseque in illos meatus aut caueas insinuat, primò ad tympanum appellit, tenuem nimirum siccamque membranam, quæ fini primæ caueæ subtenditur: hæc pulsata resonat instar tympani, & circumiacentibus officulis aëreque vernaculo seu implantato secundę caueę sonum impertitur, per quem deinde aërem sonus, feneſtellas iam prætergressus, in labyrinthum permeat; inde in cochleam, neruúq; auditorium, præcipuum auditus organum: per quem deinde sonus ad phantasian pertingit, quæ iudex est æquissimus soni eò appulsi.

De Naso & Olfactu Memb. 5.

NAsus, vt auris, externus internusque est. ille oculis patens ex ossibus constat, cartilaginibus, membranis, musculis, neruis, venis, arterijs, atque hæc omnia colligante cuti. Internus verò nasus, qui verum est olfactus instrumentum, duabus coagmentatur partibus, osse ethmoide & processu mamillari. Os in media frontis basi ad summam nasi radicem situm est. Duæ præcipuè sunt eius partes, altera cribrosa, hoc est, instar cribri foraminibus per-

peruia, per quam aër odorque inſpiratur: altera ſpongioſa, in qua inſpiratus aër alteratur, vt ſpiritibus animalibus gignendis aptior euadat. Proceſſus verò mamillaris eſt neruea quædam ſubſtantia, ſiue mauis, ipſi nerui molliores, tunicisque ſpoliati, ac duobus tuberculis mammarum inſtar extuberantes, atque ſummo narium oſſi inſidentes. hi ſunt præcipua odoratus organa, nam odorabilis obiecti ſpecies, ſiue vt veriùs loquar, exhalationes illæ vaporoſæ, e re odorata manantes, eòque pertingentes a facultate in eo inſita excipiuntur atq; ſentiuntur: indeq; ad communem appellatum ſenſum deferuntur. Vtrum verò Olfactus per reales qualitates fiat, an potius per ſpecies intentionales, vt vocant, non hìc diſcutiendi locus: in Quæſtionibus hęc diſcutiemus.

De Lingua & Guſtatu Memb. 6.

LIngua, guſtatus organum, ex varijs eſt cõſtructa partibus, carne propria, obuoluẽtibus eam membranis, tribus neruis per eius corpus effuſis, decem muſculis, venis arterijſque plurimis, freniculo, ac valido ligamento. Caro ſpongioſa eſt, vt ſapores excipiat ebibatque; tenuiſſima te-

gitur membrana eaque amplis poris peruia, vt sapores admittat longè facillimè: neruos excipit e tertia quartaque coniugatione, vt exactiùs sentiat sapores, sciteq; discernat. Ceteras partes ad motũ potius, quàm ad gustatum admittit. Fit ergo gustatus, cum sapor, vel, vt alij contendunt, (cum quibus certè nullus contendam,) cum eius species per membranæ poros ad linguæ corpus neruis obductum peruadentes ab sentiente anima percipiuntur. Iam verò de lingua hic agimus, vt gustatus, non vt loquutionis organum est. hæc igitur sattis sunto.

De Cuti & Tactu Memb. 7.

SEnsuum vltimus Tactus est, cuius organum præcipuum est cutis. nam licet membranæ omnes tactus instrumẽta sint, tamen quia cutis inter membranas temperatissima est, ideò ea censetur præcipuum instrumentum. Præcipuum autem externi tactus: nam interni sunt membranæ interiores. *Cutis igitur membrana est omnium crassissima ex sanguine semineque genita, mediocri temperamento prædita, vt omnes obiecti differentias dignosceret.* est veluti caro neruosa, vel neruus carnosus: non admodum dura

dura est, vt omnes obiecti species promptè exciperet, non admodum mollis, vt receptas conseruaret. In Mulierum papillis, virorum pudendis, vtriusque digitis, ac manus vola exquisito sensu prædita est. Quomodò autem fiat tactus, tactus ipse docet. itaque pluribus quid opus?

De Musculis & Motu Memb. 8.

HOc primum secundę sectionis caput, in multa membra partiti sumus: cum enim instrumenta omnia ad principes facultates, ad externos sensus, atque ad motum edendum pertinentia complectatur, singulis membris instrumenta singula tractare necesse fuit. Ergo internorum externorumque sensuum organis explicatis, Motus instrumenta persequamur necesse est, nempe vt Animali facultati seruientia membra tractatu absoluamus.

Itaq; adæquata motus organa Musculos censere oportet. *Musculi autem sunt organa ex carne, neruis, villis, venis, arterijs & tunica ad motum voluntarium constructa:* sic enim ex Galeni & Laurentij descriptione integram absolutamque musculi definitionem constituimus. Fit igitur motus cum anima, aut mauis dicere, voluntas aut boni spe-

ſpecie capta, aut mali perculſa, vel ad amplectendum incenditur, vel ad euitandum deterretur. Quarè pro libito tranſmittens e cerebro per neruos vim animalẽ ac motiuam ad muſculos, ſtatim eos contrahit, hi contracti contrahunt tendines, tendines oſſa, oſſaq; proinde contrahunt mouentq; totum corpus, vel eius partem, quam anima voluerit. Hæc pauca dixerim de motu muſculiſque, plura ſanè dicturus, ſi epitomes ratio poſtularet, aut permitteret.

De Corde & Vitali facultate Cap. 2.

ORganis animalis virtutis in primo ſecundæ ſectionis capite enarratis, imò & omni eo, quod ad eam facultatem ſpectat, diligenter perſpecto ordineque non vulgari enucleato; ad ea aggredi oportet, quæ Vitalis facultatis ſcientiam comprehendunt. Cor præcipuum eius inſtrumentum eſt, quod ab anatomicis medicisque omnibus deſcribitur, *Vitæ principium, inſiti caloris focus, vitalis facultatis ſedes, ſpirituum ſeminarium, arteriarum ſcaturigo, pulſus & reſpirationis auctor*. Eius figura pyramoidis eſt, & nuci pineæ non abſimilis; quippe ex ampliore baſi ſenſim in mucronẽ deſinat. Situm eſt in medio thorace: æquè enim di-

distat a sterno, ac dorso; æquè a dextris ac finistris constis; a clauiculis, & diaphragmate. eius tamen mucro seu cuspis paululum vergit in sinistram partem infra papillam vbi pulsus apparet. Constat ex carne, adipe, venis, arterijs, villis, neruis, ac tunica peculiari. Mole paruum est, & quò quisq; audacior ac magis cordatus, eò minori corde præditus est: & econtrario. vnde, vt ait Laur; lepores, cerui, mustelæ, asini maximum habent cor: leones verò aliaq; confidentia audaciaque animalia longè minus. Duos habet ventriculos aut sinus, dexterum, sinistrum. ille Sanguineus dicitur, quia sanguinem e vena per diastolen attrahit, coquit, attenuat, purioremq; eius parte sinistro impartitur, spiritus gignendi causa; impuriorem pulmonibus nutriendis transmittit. Sinister verò sinus focus est, & vera caloris & spirituum officina. ibi enim implantatus est atq; penitus insitus natiuus calor: ibi sanguis in spiritus elaboratur, indeque per arterias perfecti iam spiritus in omne corpus ducuntur. Duas etiam auriculas, hoc est, mollia quædam & cauernosa corpora, ambobus vētriculis respondentia, cor habet, nō aliam ob causam, nisi vt sanguis & aër in eis præparetur antequàm ingrediantur dexterum sinistrumq; ventriculum, vt follium instar cor refrigeretur, vt ait Hippocrates. Tegitur concluditurque Pericardio, vt externas eludat iniu-

iniurias. De venis, quæ cordi inseruntur, de arterijs, quæ inde manant, de ceteris eius partibus accuratiùs disputare, non hìe locus, ne Institutionum vice anatomen construamus, res profectò si non inutilis, certè a nostro aliena proposito. Illud solùm adiungo, instituto nostro necessariũ, cor perpetuo motu cieri, nec, viuente animali, vnquam quiescere: Diastoles nempe & Systoles motu agitur, hoc est, dilatatione & constrictione. Diastole expanditur cor, eiusque sinus, vt vel sanguinem e vena caua fugat in dexterum ventriculum; vel aërem per arteriam venosam in sinistrum sinum hauriat ac deducat. Ergo in diastole cor secundum longitudinem breuius factum, augescit secundum latitudinem. Systole verò, qua contrahitur & quasi labitur ac concidit, vt fuligines, e caloris foco spirituumque officina exhalantes, foras propellat, contrarium experitur. nam subsident eius latera longiùs productum, extensis nimirum & quasi elongatis eius basi & cuspide. atque lateribus ad mutuum ferè contractum concidentibus.

Iam verò cor hac ratione fabrefactum sedes est ac domicilium Vitalis facultatis, quæ nil aliud est, quam *Vis illa, qua spiritus vitales & influentem partibus calorem gignit & vndequaque diffundit, vt vita conseruetur.* Huius facultatis primaria præcipuaq; functio est spirituum generatio caloriſque in-

influentis. nam, vt innuimus paulò superiùs, è dextro cordis ventriculo purior sanguinis portio a sinistro sinu hausta; & is, qui inspiratur a pulmone, externus aër attractus promptè vertitur in spiritus, quos, quia vitam ad interitum properantem reuocat ac tuetur, vitales appellamus. Quibus spiritibus natiuus calor inseritur deduciturque ac influit per arterias in omnes corporis partes, vt propterea influens meritò dicatur.

De Arterijs & Pulsu Vitali facultati seruiente Instrumento Memb. 1.

VErùm quia in spirituum generatione necesse est, vt cor & attrahat externũ aërem, & sanguinẽ fugat ab dextero sinu: imò & expellat fuligines, e magno sinistri sinus calore exhalantes: propterea Pulsum edere necesse fuit, quo vtrumque facilè præstare posset. Itaque secunda vitalis facultatis functio est Pulsum edere siue efficere, quo attrahat, quo expellat: attrahat quidem dilatatione ac diastole, expellat verò constrictione ac systole: attrahat sanguinem & externum aërem; expellat fuligines

gines & excrementa, quæ in spirituum generatione nascũtur. Ceterùm illud præmereundum non est, Primariam ac maximè a natura expetitam vitalis facultatis functionem esse spirituum generationé; Pulsum verò esse veluti secundariam ac seruientem. Natura enim id agit, id viribus neruisq; omnibus contendit, vt spiritum, caloremq; gingat, quo laborantes ac penè tabescentes partes reficiat ac restituat. hoc cum præstare nequeat, nisi perenni motu diastoles ac systoles cor agatur, ideò Pulsum edere constituit. Iam verò cum e corde prodeant arteriæ, eiusq; veluti assectæ & pedissequæ sint, factum est, vt etiam arteriæ eodem quo cor agantur motu diastoles & systoles, sintque instrumenta Pulsui necessaria.

De Respirationis Instrumentis deque ipsa Facultate Memb. 2.

PVlsui affinis est respiratio, quæ quadruplici instrumẽtorum genere perficitur, Larynge, Aspera arteria, Pulmone, & Musculis thoracis. Larynge enim exceptus aër per asperam arteriam in pulmones thoracis musculis enitentibus illabitur attrahiturque. *Larynx est corpus quoddam cartilagineum*

neum aſpera arteria impoſitum tanquam caput & operculum, dico tanquam operculũ, quia larynx tres habet partes organicas (mitto ſimilares, venas, arterias, neruos.) glottidẽ, epiglottidem & muſculos. Glottis eſt rimula, per quam ingreditur egreditur-que aër. Epiglottis eſt operculum quo glottis tegitur, ne quippiam externum ingrediatur in aſperam arteriam ac pulmones. Muſculi mouent epiglottidem aperiunt, clauduntq; glottidem, vt aër ingredi & egredi liberè poſſit. Aſpera verò arteria ſequitur Laryngem, quæ *ductus quidam eſt ac fiſtula, a larynge ad pulmones per quam attractus aër in pulmones inſeritur*. Corpus eſt cartilagineum, durum, rotundum, membranis cinctũ & interiùs & exteriùs, venis, arterijſque munitum, in pulmones deſinens & implãtatum. Pulmo eſt corpus ſpongioſum conſtans ex propria carne, ſeu mauis dicere, Parenchimate, laxa, rara, & ſpongioſa, vt facilè attractum aërem excipiat, facileq; attolli deprimiq; poſſit ad inſpirandum expirandumque aërem ac fuligines. Præter membranam, qua continetur tegiturq; eius ſubſtantia, conſtat ex Vena arterioſa, Arteria venoſa, & Aſpera arteria. Vena arterioſa e dextro cordis ſinu prodiens in eius ſubſtantia inſeritur nutritionis cauſa. Aſpera arteria per eius paréchima diffuſa aërem toti pulmoni elaborandum committit. Arteria ve-

venosa e sinistro cordis vētriculo manans sese penitùs inserit atque implantatur in oscula asperæ arteriæ, vt & aërem a pulmone elaboratum attrahat, cordiq; transmittat, & a corde fuligines haustas in asperam arteriam euomat, iamiam per os extrudendas. Hæc igitur sunt Respirationis instrumēta. fit ergo respiratio cum pulmo dilatatur aërem inspirans frigidiorem, spiritus vitalis gignendi causa, & coarctatur expirans calidiorem cordisq; fuligines, vt spiritus emundentur, & cordis æstus temperetur. Itaque vt pulsus ex duplici conficitur motu, diastole & systole; ita respiratio ex dilatatione & coarctatione: dilatatione externum aërem inspirans, coarctatione internum expirans. Vtrum verò hi motus naturales sint, an animales & voluntarij, in Quæstionibus examinabimus.

De Organis Facultatis Naturalis, deque ipsa Facultate Cap. 3.

ETsi nostrum institutum est, Organa naturalis facultatis primariò enarrare, quia tamen de facultate etiam, cuius gratia illa fabrefacta sunt, agendum nobis est; ideò oportunè me egisse existimo, si facultatis species, breuemq; eius epitomen vo-

vobis ob oculos ante posuerim, quàm de ipsis instrumentis agere incæperim. Naturalis igitur facultas vel indiuidui est, vel speciei, nimirum vel ad indiuidui conseruationem a natura insita est animali, vel ad propagationem speciei. Quæ indiuiduum spectat, Altrix est & Auctrix. *Illa est quæ chylum in hepate in sanguinem commutans, corporis partibus alimentum præbet.* Hæc verò nempe Autrix *est, quæ corpus certo tempore ad constitutam quandam molem auget.* Vtriusq; ferè ministræ ac seruientes facultates sunt Attractrix, Retentrix, Concoctrix, Expultrix: quibus addere possumus eam, quæ Apponit, Agglutinat, Assimilat. Attractrix quidem conuenientem partibus alimentum attrahit. Retentrix verò attractum alimentum tamdiu retinet, dum perfectè elaboretur; Coctrix attractum retentumque coquit, hoc est, ita elaborat perficitque, vt partibus alendis sit idoneũ. Expultrix demum superuacaneum, quod relictum est, eligit expellitque. Est & alia, quæ non contemnendo munere fungitur, attractum enim coctumq; alimentum partibus apponit: est quæ idem agglutinat; est demum, vt perficiatur nutritio, quæ assimilat appositum agglutinatumque alimentum.

Quod facit ad Generatricem, *hæc vis illa est, qua animal sibi simile gignit ex semine sanguineque materno.* non simplex est, sed

ex

ex duabus componitur facultatibus: siue duas alias ministras sibi vendicat, Immutatricem & Formatricem, *Immutatrix est quæ semen sanguinemque sua vi ita afficit, vt ea immutet vertatque in substãtiam animalis procreandi idoneam*. cum enim primùm in vterum eiaculatur semen, ac sanguis maternus cum eo commiscetur, vis vteri Immutatrix variè illa tractat afficitque, diuersè agit & immutat, adeò vt tandem ea reddat habilia &, ita dicam, obedientia vi formatrici. Hæc itaq; materiam ita subactam ab Immutatrice excipiés, promptè eam in corpus efformat omnibus distinctũ partibus. itaque *formatrix est quæ toti corpori, singulisque eius partibus decentem speciem formamque tribuit*. Sed de his omnibus singillatim ac copiosiùs agendum nobis erit, cum de Instrumentis agemus. Hæc quasi rudimenta quædam, ac veluti prolegomena sunto.

De Iecinore Naturalique facultate Memb. I.

IEcur, *est viscus concreto sanguini simile, venarum omnium principium, generandi sanguinis instrumentum, spirituque naturalis officina*. Constat autem ex proprio paren-

chi-

chimate, venis, arterijs, neruis, membranis. Parenchima est propria eius substantia aut caro, quæ incrassatus concretusq; sanguis videtur. per hoc disseminantur venæ cauæ portæque radices: imò verò quasi in fœcundum solum ita inseruntur atq; implantantur, vt sanguinem inde hauriant omnibus partibus communicandum. Arteriæ verò non in totum eius corpus, funduntur vt venæ, sed in concauam solùm eius partem, quippe hæc calore spirituq; fœcundiori ad sanguinem gignendum opus habeat. Nerui exiles sunt & exigui, nec in substantiam visceris inserti, sed in membranam, quæ ambit eam, coercet atq; amplectitur. figura igitur varia est: Suprema & extrinseca eius pars gibbosa est ac rotunda: infima & extrinseca est concaua, & non adeò, vt illa, lævis. Temperamento præditum est calido humidoq; vt sanguinem eadem temperie gigneret, hoc est aptum ad naturalem calorem, humidumq; radicale reficiendum. Nectitur diaphragmati, peritonæo, costis nothis, xiphoidi & vmbilico proprijs ligamentis. Cerebro etiam neruis intercedentibus, cordi arterijs & vena caua, stomacho intestinis, lieni splencio & mesenterico ramo. Immo verò, nulla corporis pars est, cum qua iecur affinitate aliqua & communione non sit coniunctum medijs venis. Ita constructum concinnatumque iecur, a vi naturali

non

non solùm informatur, sed planè perficitur ad hæmatosin, sanguinemque gignendum, ad impertiendam inserendamque naturalem virtutẽ omnibus partibus. nulla enim pars est, quæ naturali vi prædita non sit, quæ non attrahat, nõ retineat, coquat, expellat, sibi non apponat, agglutinetque aut in propriam substantiam non conuertat. Ceterùm vt hæc omnia palam fiant, vobisque magis explorata sint, & vim præcipuè naturalem, quæ *Prora*, vt dicitur, *& puppis est*, quæq; per sanguinem ex hepate deducitur in omne corpus; necesse est paulò altiùs hæmatosin repetere & de Chylo verba facere. Sit ergo

De Instrumẽtis Præparantibus Ore atque Ventriculo, Deque Chylosi Memb. 2.

MInistrarum partium ac seruientium Iecinori, præcipuo naturalis facultatis instrumento, alias diximus esse pręparantes, alias expurgantes, alias demum deducentes. Organa, quæ præparant, os est, & stomachus. Os terit manditque alimentum, atq; adeò committit stomacho, faciliùs elaborandũ. Stomachus verò illud am-

amplectitur, calefacit, afficitque ita, vt in chylum vertat, hoc est, in substantiam quamdam ptissanæ hordaceæ non absimilem, vt inferiùs intelligetis. Os ex plurimis conflatum est partibus, dentibus, gingiuis, palato, lingua, faucibus, vuula, & paristhmiate. Dentes sunt verè ossa numeroq; sexdecim. Gingiuæ verè carnes: nam reuera solæ gingiuæ, & penis glans est caro, hoc est, pars similaris & indiuidua. carnes verò musculorum ex fibris constant villisue. Palatum superior est oris pars & veluti cælum, ideoque οὐρανὸς Græcis dicitur. Lingua, gustatus & loquutionis organum, eam figuram nacta est, quæ idonea esset & loquutioni & ciborum ingestioni, seq; proinde huc illuc promptè vertere posset. ex carne sibi propria constat, ex membrana eam obtegente, ex neruis, arterijs, venis, musculis, validoque ligamento. Fauces tota illa capacitas dicũtur, quæ hiante ore conspicitur. Vuula est caruncula fungosa e palato iuxta narium meatus in os propẽdens: sed reuera vuula dicitur & Vua cum morbida est, cum verò sana dicitur Gurgulio. Demum Tonsillæ, sunt duæ illæ glandulę iuxta isthmum sitæ: quæ, vt ait Laur; fauces, os, & linguam perpetuo humore irrigant. Ex hisce omnibus partibus duæ sunt, quæ conficiendo cibo maximè seruiunt, dentes, & lingua. Illi conterunt, hæc agens & volens huc

illuc alimentum, præstat, vt conficiatur ac mandetur facilius. Confectum igitur mansumq; alimẽtum ingeritur in stomachum, non attractum modò, sed etiam a lingua impulsum. Stomachus seu, vt magis propriè loquar, Ventriculus (nam reuera stomachus est fistula illa, per quam cibus descendit in ventriculum.) *Est cibi receptaculum, quò primùm illabuntur ea, quæ accepta sunt ore*. Membraneum est, ómni villorum genere intextum, cauum, longum, rotundum, ac ductile, vt ingesta copiosiùs alimenta extensum capiat. Substantia eius membranea est, vt diximus, tribus tunicis constans, venulis, arterijsque innumeris & neruis grandioribus, per quæ vniuerso ferè corpori nectitur atque consentit. Tres sunt præcipue eius partes, superius os, os inferiùs, & fundum. Superius, quod verè os est, gulæ finis, ventriculique principium censendum est. hìc sedem fixit appetentia famesque: miram contraxit cum corde affinitatem ac sympathian; miram cum cerebro. illius quidem vicinia in caussa est: nam extremum cordis mucro parum distat a stomachi ore. huius verò κοινωνία, hoc est, neruorum communio. e cerebro enim insignes nerui ad stomachum ducuntur. Quarè experimẽto compertum a nobis est, quoties stomachi os malè habet, aut melancholiam vrgere, aut lypothiniã, aut quid simile: adeò vt meritò dixerit

Are-

Aretæus, *Stomachus est fons latitiæ, cordi periculosa vicinia*. Inferius autem orificium, græcè πυλωρὸς, latinè ianitor, quòd non secus ac ostiarius quidam exitu prohibeat assumpta alimenta, situm est non in fundo ventriculi, sed paululum supra, vt nimirum faciliùs cohiberet cibum imperfectè coctum. Horum vtrumque orbicularibus fibris contextum est, vt & corrugari, cum opus est, & laxari possit. nam superius manso ingestoque cibo contrahitur, ne, cum supini sumus, in os relabatur alimentum; inferius ne idem dimittat, non adhuc perfectè elaboratum. Tertia demum ventriculi pars est fundum, verum alimenti promptuarium, & coctionis officina. hìc præcipuè inest vis illa specifica, qua chylosis absoluitur. Concoctio quidem a calore fit, chylosis verò a vi, & insita stomacho proprietate. nimirum calor ventriculi agit in ingesta assumptaque alimenta, eaque alterat, atque conficit: vnde iureoptimò sagax & prouida natura, vt ventriculus vnumquodq; cibi genus etiam durissimum solidumque conficeret ac planè alteraret, locauit eum inter hepar, lienem, omentũ, intestina, diaphragma, ceteraſque partes, quæ calore laboranti vẽtriculo in alterãdo cibo suppetias ferrent. At verò sic alteratum subactumque alimentum, peculiaris stomachi vis vertit in chylum. non enim calor, vt calor est, chylosin perficit, sed vis

illa peculiaris ac ventriculi propria. quod vel ex eo patet, quia nullibi manſum contritumue alimẽtum abit in formam chyli, etiam ſi validiori afficiatur calore. Itaque peculiaris illa vis, e ſtomachi forma manans, ab ore primùm præparatum cibum, mox a calore ſtomachi validè alteratum, vertit in chylum. Hic autem perfectus & abſolutus e ſtomacho per pylorum elabitur in inteſtina, ibique tantiſper moratus, dum perfectionem aliquam, ſi opus eſt, ab eorũ calore adipiſcatur, promptè auidèque ſugitur a venis meſaraicis, hepatiq; defertur. Quò cum peruenerit, ſtatim eius quaſi incudi redditur perfectiùs elaborandus, mutanduſque in ſanguinem. Hepar igitur peculiari ſua vi chylum in sãguinem commutat. Sunt qui cenſent, chylum, cum per venas meſenterij ad iecur perreptat, rudimentum quoddam ſanguinis induere, & nonnihil rubeſcere. Sed vide ne rubor iſte non venarum meſenterij ſanguificantium, ſed potius alicuius mixtionis cum ſanguine, in ijs nutritionis cauſa latente, ſoboles ſit. Profectò *διμάτωσις* ex propria eſt hepatis facultate, peculiari eius vi, e forma ſpecifica oriunda. Vtrum verò vis hæc parenchimati iecinoris inſit. an verò eius venis, viri docti vocant in dubium & in quæſtionem. Iacobo Schengkio poſterior probatur ſententia, imò multis argumentis videtur fulciri. Sed ego

qui-

quidem non video, cur venis in hepate implantatis atque diſperſis tanta vis tribuenda ſit. Neq; video, cur parenchimati tantum detrahēdum, vt ineptum ſanguini gignendo inſtrumentum habeatur. Sanè arterijs non ea vis ineſt, quę ſpiritum illum vitalem generat: non ea facultas, quæ calorem vitæ principium ac fundamentum gignit. Sed fiſtulæ tantùm habentur, per quas, tanquam per ductus ac tubos, ſpiritus & calor e corde hauſtus in omne corpus deducatur. Sic planè habendæ ſunt venæ, ductus nimirum tubique, per quos ex hepate, ſanguinis officina, architecto ac fonte is in omnes corporis partes deriuetur. Illud tamen peruicaciùs non negauerim, aliquam immutādi chyli vim ineſſe tùm venis meſaraicis, tùm maximè ipſius hepatis. fortaſſe enim chylus in ijs venis coërcitus informatur quoquomodo, atq; aliquod ſanguinis rudimētum adipiſcitur. Sed tamen vis illa magna & admiranda, qua chylus in perfectum abſolutumque ſanguinem migrat, nonniſi hepatis parenchimati accepta referenda eſt. Vt igitur explorata ſit ſanguinis generatio, eiuſque diſtributio, ordine omnia atque per epitomen repetenda. Ore manſus contrituſque cibus labitur in ſtomachum, ibique tandiù manet, donec ita alteretur atq; afficiatur, vt in chyli formam redigatur. Mox per inferius hoſtium elapſus in inteſtina, fugitur

a venis meſaraicis, ſuctuſque defertur ad hepar: & primò quidem committitur atq; concreditur venæ portæ radicibus, per hepatis ſubſtantiam propagatis, vbi attenuatus in hepatis ſubſtantiam inſeritur, ſeſeq; cõdit, perfecti ſanguinis formã adepturus. Inde verò maxime per venam cauam, quæ e ſuprema hepatis parte prodit, omni corpori transfunditur, vt partes omnes, quotquot ſunt, nutriat. id verò qua ratione fiat, oſtendam ſuo loco, cum de organis diſtribuentibus agam. Hactenus organa præcipua facultatis naturalis, i. Altricis & Auctricis; hactenus ſeruientia atque principibus præparantia: ſequitur vt de Expurgantibus agamus, quæ nimirum excrementa excipiunt, in organis tum primarijs tum præparantibus genita.

De Inſtrumentis Facultati Naturali ſeruientibus Expurgando Excrementa. ideſt, de Inteſtinis, Ciſta Fellis, Liene, Emulgentibus, Renibus, Veſica Memb. 3.

COctum in ſtomacho alimentum, in chylum mutatũ, & e pyloro elapſum in

in intestina, non totum in hepar per venas meseraicas repit; sed tenuiores solùm ac puriores eius partes, fæcibus ac repurgamentis in intestinis subsidentibus. *Intestina itaque sunt organa excipiendis excrementis, in prima coctione genitis, dicata.* Animaduertendum tamẽ est, licet intestina excipiant excrementa, non tamen censendum est, hunc solùm esse eorum munus. alterant enim nonnihil, distribuuntque chylum in iecur. Possumus igitur cum Laurentio describere intestina. *Oblonga, caua, rotundaq; corpora, ab imò ventriculo ad anum extremumque podicem ducta, coquendis aliquantulum alterandisque cibis, & chylo in hepatem distribuendo, ac demum excipiendis fæcibus instituta.* Bipartita sunt in Crassa ac tenuia. Vtraque tripartita, illa in Cæcum, Colon, & Rectum. hæc in Duodenum, Ieiunum, & Ileon. Tenuia a pyloro incipiunt: crassa ano terminantur. Omnium vna ferè eademq; structura est. constant enim omnia ex tribus tunicis, venis, arterijs, neruulis, fibrisque omnis generis. Distant autem a crassis tenuia tunicarum tenuitate: crassa a tenuibus earumdem crassitie. Distant & munere: nam tenuiorum munus est, e ventriculo elapsum chylum excipere, condere ac distribuere, adde & alterare, si asserere lubet. Crassorum verò officium, non nisi fæces colligere exturbareque. Hæc paucula dixerim de Intestinis, vt recipiendis

excrementis primæ coctionis sunt organa a natura dicata, vtq; proinde instituti nostri ratio postulat; plura dicturus in *Epitome Anatomes*.

Chylus ab intestinis ad iecur profectus, nouam subit coctionem, & in sanguinem elaboratur. ergo vt in prima coctione excrementa nata sunt, instrumentaque ad ea excipienda a natura fabrefacta: ita in secunda multa nascuntur excrementa, multaq; proinde organa, quæ illa expurgent. Verùm quia longè perfectior est secunda, quàm prima coctio, longè plures etiam fæces & excrementa inde manent, necesse est. Itaque prouida natura triplex excrementorum expurgandorum instrumẽtum hepati fabricauit: primum fellis vesicam, alterum Lienem, tertium renes, emulgentes, & vesicam. Fellis cista bilioſum emungit excrementum: lien melancholicum, emulgentes renes & vesica seroſum. Vasculum illud, bili expurgandæ dicatum, membraneum est, vt laxari facilè, & contrahi possit: triplici villorum genere contextum, rectis ad attrahendam bilẽ, transuersis ad retinendam, orbicularibus ad expellẽdam. Figura est oblonga ac rotunda, duplici ostio peruia; altero, quo bilem e iecinore hauriat, altero quo eandem extrudat ad intestina alui exonerandi causſa. bilis enim acrimonia segniorem ventrem excitat, compellitque ad egerendum.

Quem-

Quemadmodum hæc veſicula bilioſum ab hepate emungit excrementum; ita melancholicum Lien ſugit hauritque. Adeò enim ſollicita fuit natura de puritate ſanguinis, vt plurima finxerit inſtrumenta ad eum emungendum. Lien igitur, huic muneri a natura dicatum, corpus eſt viſcuſue fungoſum, tenui obuolutum membrana, e peritonęo profecta; nerui in eam inſeruntur e ſexta coniugatione deducti; venæ quoq; e portæ ramo ſplenico oriundæ; arteriæ non mediocres, e magna arteria manantes: figura eſt oblonga inſtar linguæ bubulæ, vnde fibi nomen aſciſcit: nam lien a lingua. Nectitur ſtomacho, diaghragmati, & ſiniſtro reni per mębranam illam e peritonęo deriuatam: hepeti per venas, per arterias cordi, per quas omnes ab vtroque emungit excrementa fæculęta magis, & craſſa, quæ arteriarum calore, quibus lien maximè abundat, attenuata in ipſius ſplenis ſubſtantiam migrat, vel eorum portio minus elaborata ſubactaque, ac proinde fæculenta ad renes ducitur per arterias emulgentes; aut ad inteſtina per ramos ſplenicos; aut per hæmorrhoidas in anum; aut in ſtomachi fundum per vas breue, ſiue mauis dicere, venoſum. Ceterùm vt inteſtina non expurgandis ſolùm fæcibus a natura conſtructa ſunt, ſed alijs etiam vſibus & nobilioribus, & corpori oportunis: ita Lien non ad exugendam

tantùm melancholiam, sed vel ad informandos spiritus vitales, hoc est, rudem eis formam inducendam, vel ad arteriosum purioremque sanguinem gignendum, vel demum, non secus ac iecur, ad venarum sanguinem elaborandum. non enim verisimile esse nonnulli putant, viscus tam nobile, tam magnum, tantis venis, tot tantisq; arterijs constructum, vni melancholiæ, serosoue humori expurgando dicatum esse. Ex antiquis id censuerunt Aretæus, Alex. Aphrod., ex neotericis Carolus Piso, Rondeletius, Gaspar Asellius, Franciscus Vlmius, alijque nonnulli. Sed hac de re fusius agendum nobis est in Quæstionibus singulis membris atque capitibus adiungendis.

Sanguine per cistam fellis ab humore bilioso, a melancholico per lienem emuncto expurgatoque, reliquum est, vt a serosa colluuie eum emundemus. Emulgentes venas, Renes, Vesicam ad id præstandum natura construxit. Emulgentes sunt venæ illæ, quæ e caua tanquam e fonte riuuli, scaturiunt, seseq; in renes inferunt: duæ sunt aliquando, aliquando tres, quatuor pluresque, vt oculatissimus Columbus Romanus anatomicus celeberrimus, primus omnium obseruauit. Hæ serosum e venis humorem fugẽtes in renes deriuant. Sunt & arteriæ emulgentes, quæ a magna arteria oriundæ, copiosum, quo scatent

ar-

arteriæ, humorem seroſum in renes deducunt. Renes per vreteres, hoc eſt, per quoſdam ductus membranaceos, ex ipſorum ſubſtantia prodeuntes & in veſicam implãtatos eoſdem transfundunt humores, inde penis per proprium ductum foras emingit. Horum verò ſingulorum ſingillatim enucleare ſtructurã, penè inutile. Illud ſolùm nouiſſe, ſat modo ſit, Emulgentes & Vreteres ex ijſdem, quibus venæ arteriæque, cõſtare partibus, de quibus membro ſequenti agendum. Renes verò viſcera ſunt carnea, ſiue proprio parenchimate conſtructa; membrana a peritonæo oriunda inuoluta; & cauitate interiùs hiantia. quam efformant vaſa e magna vena, arteriaque magna prodeuntia; atq; adeò vreteres. nam omnia hæc vaſa in mediam eorum ſubſtantiam implantata, extendunt eam, deducunt, caueamque proinde efformant, obuolutam eorũdem vaſorum tunicis. Figura referunt phaſeolum; & ventriculo nectuntur per neruum a ſtomachico ortum. Cetera petenda ex anatome, ſicuti vreterum veſicæ & penis ſtructura. nam rudiorem earum partium ſcientiam quiſque ſibi oculis comparare poteſt.

De Partibus Naturali Facultati Seruientibus Distribuendo, hoc est, de Venis Memb. 4.

DE venis hìc paucis agendum est, nec nisi vt eae distribuēdo diducendoq; alimento seruiunt. Ex hepatis corpore duę magnæ prodeunt venæ, Porta & Caua: vtraque alimentum sanguinemque ex eo quasi fonte haurientes, in omnes corporis partes deducunt nutritionis causſa. Porta e caua iecinoris parte proficiscens in duos magnos quasi ramos diuiditur, splenicum & mesaraicum. & quamuis quatuor exiles surculos prius emittat, quàm in duos illos prægrandes partiatur, primum cysticum, qui ad fellis cystam bilem ducit; gastricum, qui in ventriculum delatus varios per eum diffundit surculos; gastrepiploicum, qui fundo ventriculi & epiploo inferitur; intestinalem, qui in intestinum duodenum diffunditur: tamen illi duo sunt insignes ac nobiles rami, per quos e concaua iecinoris parte sanguis, quantus inde hauriri potest, in ceteras partes deriuatur. Et splenicus quidem ramus rectà in lienem repens in concauam eius partē ferè totus inseritur, atque

atque multos per eius corpus ramulos diuaricat. Meſaraicus, qui paulò eſt amplior, in meſenterium & inteſtina proficiſcens in ſexcentos propemodum ramulos exileſq; venulas diuiditur, quæ per vniuerſa inteſtina ac meſenterium diſſeminantur. Ex his ramulis vnus eſt præcipuus qui ad anũ delatus hæmorrhoidalis dicitur, expurgatque humorem melancholicum, cum ſplen obſtructionibus impeditus eum excipere non poteſt: hæmorrhoidalis, inquam, internus: nam externus ducit originem a venæ cauę deſcendentis ramo hypogaſtrico.

Venę autem cauę totidem ſunt inſignes & grandes rami, alter aſcendens, deſcendens alter nominatus. nam ſtatim atque e iecinoris ſuperiori parte prodit vena caua, bipartitur in hoſce ramos. Aſcendens antequàm ad iugulum perueniat, aliquos emittit ſurculos, tum in diaphragma nutritionis cauſa, tum in pericardium, in cor & nutritionis & ſpiritus vitalis gignendi cauſa; in pulmones, coſtas &c. Prope verò iugulum rurſus partitur in plures ramos, quorum aliqui deorſum ferũtur hinc inde in thoracem, brachia, externas internaſq; partes. aliqui ſurſum in omnes capitis partes, quotquot ſunt, nutriendas.

Deſcendens verò truncus a diaphragmate ad os ſacrum ſpinæ incumbens ferè integer eſt & indiuiduus. ſolùm enim paruos ſurculos emittit ad vicinas partes nutrien-

Digitized by Google

triendas, ad vasa seminaria sanguine replenda; & emulgentes ad renes seroſi humoris expurgandi causa. Cum verò ad os sacrum peruenit, statim in duos prægrandes ramos finditur: vterque in quatuor minores, in anum delati, in vterum, in extremum intestini recti, vnde externæ hæmorrhoides nascuntur: & hinc inde excurrentes ac fruticãtes infernas omnes partes alunt. Quomodò autem id fiat, paucis ostendam: Sanguis ab hepate prodiens perque has omnes venas in corpus vniuersum, minimasq; eius partes delatus, tractu temporis effluit exudatque ex venarum exilium ore; exudat, inquam, roris instar in vacua membrorum arctuumque spatia, vt propterea Ros a medicis dicatur. Mox a partium calore coctus concrescit in Gluten, hoc est, crassior, concretior, & adhæsioni magis aptus redditur, cuius gratia glutinis nomen sibi iurè vendicat. Demùm ab Altrice facultate, singulis partibus infita, in propriam cuiusque substantiam vertitur, Cambij nomen adeptus. Hac ratione Altrix facultas progreditur, quam necessariò sequitur Auctrix. nam appositum partibus alimentum, & non solùm in Ros & Gluten commutatum, sed conuersum in Cambium, necessariò sequitur, vt partes alat, & alitas in molem ampliorem attollat & augeat. Hactenus primæ duæ naturalis facultatis functiones,

Al-

Altrix & Auctrix: hactenus omnia earum organa, primaria & seruientia; hactenus præparantia, expurgantia, deducentia: sequitur vt de Generatrice, quæ tertia postremaque est facultatis naturalis functio, breuiter agamus.

De Organis Generatricis Facultatis, deq; alijs Generationi necessarijs Memb. 5.

INstrumenta generationi necessaria citò percurremus, tum quia nota ferè exploratáque sunt, tum quia in alijs, quæ ad generationem spectant, diutiùs & accuratiùs me versari necesse est. Præcipua generationis organa sunt, quæ duo illa principia semen & sanguinem vel præparant conficiutque, vel excipiunt, fouent, alterant, ac tandem in fœtum cõmutant. Non præcipua verò, sed veluti famulantia sunt, quæ deferunt illa duo principia in illud organum, quod generationis officina iurè dici potest.

Quæ præparant semen tum viri tum mulieris sunt quattuor vasa, duæ arteriæ duæque venæ ab caua & emulgente oriundæ, quæ in testes dum feruntur paulò ante, quàm

quàm eò perueniant, capreoli vitium, siue hederæ more implicantur inuicem varijs modis, & labyrintheum quemdã plexum efformãt, oblongum, varicosum & album; quod quia testibus adhæret, inquit Laur; ἐπιδίδυμις vocatur. ab alijs verò dici solet Paraſtatæ varicosæ. In his vasibus siue vase (nam multi vnum effingunt vt dictum est) e venis diuaricatus sanguis excoquitur & elaboratur a vi illa spermatica e testibus eò deducta. non enim semen in his perficitur, sed rudimentum solùm, hoc est, colorem & crassitiem adipiscitur. Hac igitur ratione præparatum semen per exiguos ductus in testes elabitur, vt perficiatur ac vim prolificam adipiscatur.

Testes igitur præcipui seminis gignendi & fœcundandi instrumenta, substãtia sunt glandulosa, cauernosa, ac molli, vt præparatum in epididymide semen facilè exciperent ac perficerent: hæc substantiam duabus proprijs & proximis tegitur membranis; duabus exterioribus & minùs proprijs, quarum postrema scrotum dicitur. De situ, figura, musculis cremasteribus, ideſt, suspensorijs, venis, arterijs, neruis raticeam, ne in Anatomiorum messem falcem importunus inijciam. Illud solùm innuam, semen in epididymide præparatũ, & absolutum fœcundatumque in testibus per πόρος σπερματικὸς, i. vasa deferentia labi in vesiculas quasdam, & prostatas glan-

glanduloſas, vt aſſeruetur ad vſum venereum. Veſiculæ ſolo Herophilo ex antiquis notæ, ex recenſioribus Rondeletio & Fallopio, vt refert Laur. ad ceruicis veſicæ initium poſitæ inter veſicam & rectum inteſtinum, membraneæ ſunt, varie intortę, ne ſemen, quo turgent, vnica vice in coitu effundant. Ibidem ſitæ ſunt glandulæ, ſeu proſtatæ glanduloſæ eodem ſemine turgentes, & ad vſum venereum ſeruantes. Hæc ſunt ſeminis organa pręparantia, perficientia, aſſeruantia in viris & fœminis parum diuerſa: ac proinde præcipua Generatricis facultatis inſtrumenta. Alia verò inſtrumenta ſunt numero duo Eiaculans, & Excipiens ſemen. illud eſt penis, vnicuique nimis notus. hoc verò eſt vterus fęcũdiſſimus concepti fœtus quaſi hortus, tutiſſimum domicilium. Plato, Pythagoras, & Aretæus animal eſſe cenſuerunt, quòd inſtar cuiuſdam animalis huc illuc, ſurſum, deorſum moueatur. *Eſt membraneus quidam venter, piri figuram referens, in hypogaſtrio, ideſt, in ampla coxarum capacitate inter veſicam & rectum inteſtinum ſitus, ex varijs partibus, ex venis, arterijs, neruis, tunicis, vinculis conſtructum ad concipiendum ex ſemine ſanguineque fœtum.* Singillatim vteri partes, aliaque ad eum pertinentia enucleare, ſuperuacaneum eſt, cum tyrones, quibus hæc ſcribo, alia magis abdita percipere nequeant.

Se-

Semen est corpus album, molle, humidum, calidum & spumosum ex perfecto sanguine ac puriore multisque spiritibus permisto in testibus genitum, animalis generãdi causa. Est *album* quia interiores vasorum spermaticorum tunicæ sunt albæ. *Molle*, vt per meatus exiguos permeare possit: *humidum & calidũ*, quia corpus humanum decet esse maximè omnium a sicco & frigido alienũ, quippe hæc vitæ non solùm inutilia, sed inimica. frigescunt enim omnia viuentia siccanturque, dum intereunt. *Spumosum* quia spiritibus abundat. *Ex perfecto sanguine ac puriore*, quia corpus tam præstans, vi tam mirabili præditum nonnisi ex purissimo sanguine genitum esse necesse est. Et quamuis Aristotiles 1. de Generat. Animalium cap. 18. dixerit, semen excrementum esse tertiæ coctionis; tamen id sano modo intelligendum est. Semen tantum abest, vt reuera sit excrementum, vt perfectissimus sanguis habeatur. Dici tamen potest excremẽtum non quia ex impura materia genitum sit, sed ex redundante ac superuacanea. non enim prius in testibus generatur semen, quàm pueri satis adoleuerint: tunc enim partes tanto non ægentes alimento eius portionem testibus concedunt in semen elaborandam: portionem, inquam, non excrementosam, sed purissimam, superuacaneam tamen: & hac ratione rem sese habere ex fœminis coniectare possumus,

quæ

quæ menſtruum ſanguinem nulla planè qualitate noxia peccantem, ſed quantitate ſola ſuperuacaneum emittunt tunc, cum ad idem tempus peruenerint. Semen igitur, eiuſmodi natura præditum, ea, qua diximus, ratione productum, receptumq; in vterum, geminum eſt generationis principiũ: materialis enim, & efficientis cauſſæ munere fungitur. nam etſi Ariſtoteles, & plerique e Peripateticis id peruicaciùs negent, tamen experimentum, cui reluctare erubeſcunt ſapiẽtes, id apertè comprobat. Conſtat in vegetantibus ac plantis ſemen eſſe veram naſcentis plantæ materiam, illo in huius ſubſtantiam commutato. Conſtat in animalibus oua materiam pullis præbere, cum excluſo pullo oui cortex inanis ſit & vacuus. Conſtat in homine fœtu ve, paucis poſt conceptum diebus aborto, membra ita albeſcere, vt ſeminis naturam referant. nam etſi rubor aliquis in eo conſpicitur, tamen prima illa textura alba eſt, ſemen planè redolens: Hoc eleganter deſcribit Hippocrates lib. de Natura Pueri tex. 4. cum enim narret hiſtoriam geniturę ſex diebus in vtero retenctæ & ſaltu foras prolapſæ, ſubdit, *Ego verò qualis fuerit referam, vt ſi quis ouo crudo externam teſtam vndique auferat, in quo interiori membrana contenctus humor pelluceat ad hunc fere modum ſe habebat humor ille, præterea que ruber erat & rotundus. conſpiciebantur autem fibræ albæ*

&c.

& tenues in membrana cum sanie crassa & rubra contenta. atque hac mihi visa est genitura sex diebus concepta. Itaque fibræ illæ ac villi, qui primam corporis texturam efformant, albi cum sint, seminis materiam atteſtantur: in quam poſtmodum texturam effluens ſanguis & circum circa concreſcens carne replet vacua illa ſpatia, rubore patefaciens ſanguineum principium. Et ſi verum eſt, quod tradit Gal., vt veriſſimum eſſe teſtantur exploratores, ſtatim poſt conceptum claudi ita vterum, vt ne ſpecilli quidem mucronem admittat; quis eſt, qui non fateatur, ſemen virile in vtero coerceri adeò, vt effluere nequeat? quod ſi non effluit, in fœtus ſubſtantiam migret neceſſe eſt. nam quod ait Ariſtoteles, ſemen, cum agentis munere functum eſt, in vaporem flatumque abire, dictu quàm probatu facilius eſt; nullo in ſana muliere flatu in vtero oberrante, nullo foras crepante.

Iam verò non ſolùm maris, ſed etiam fœminæ ſemen duplicis cauſæ, materialis ſcilicet & efficientis munere fungitur: vtrumque enim ſpiritibus abundans in proprium agens craſſamentum vi illa mirabili formatrice ac prolifica, de qua paulò inferiùs, fœtum ad miraculum vſque efformat. Neque hac in re audiendus Ariſtoteles, qui de Gener. Animal. peruicaciter negat, feminam vllo ſemine præditam eſſe.

esse. Quorsum enim mulieri testes? quorsum vasa præparantia tam mirabili arte fabrefacta? quorsum deferentia aut eiaculantia? Profectò Aristoteles aut naturam frustra illa vasa & organa genuisse, fateri cogitur, quod sanè in philosophia piaculum est; aut se anatomes sciẽtiam minimè calluisse. Quod verò posteriores peripatetici commenti sunt de seroso quodam humore in spermaticis vasculis fabrefacto & asseruato, figmentum est & somnium: nam vel semen est, vel semini diuersum natura & vi: diuersum esse nequit, quia sine eo conceptio fieri non potest, cum constet, mulieres detestatas siue castratas non amplius concipere: ergo verum semen erit. Vtrum verò muliebre semen principalis, vt virile, formationis fœtus causa sit, longè difficilius intellectu est. Mihi quidem haud difficulter persuaderi patior, muliebre semen eadem ferè qua virile, vi præditum esse: quod vel ex eo liquidò constare mihi videtur, quòd instrumenta, quibus muliebre conficitur & absoluitur, eadem sint, eademque a natura industria fabrefacta. nam & præparantia, & eiaculantia vasa, & ipsimet testes eadem ferè esse apparent. quibus accedit, quod mulieres coeuntes mira, vt viri, imò, si Hippocriti credẽdum est, longè magis quàm viri, veneris dulcedine ac suauissimo amplexu venereo oblectentur: quod non nisi ex spirituum vbertate

tate semen fœcundantium, & genitales partes suauissimè titillantium sequi potest. nõ enim sanguinem in coitu emittunt mulieres, non materiam illam serosam, a posterioribus peripateticis somniatam, & si emitterent, nullam vel perexiguam in venere dulcedinem parerent, quippe spiritibus illis calidissimis, acerrimis, ac dulcedini aptissimis planè careant. Qui verò maximam illam mulieris in coitu voluptatem, diuturniorem, non gradu maiorem, esse contendunt (contendunt autem omnes a frigido muliebre temperamento persuasi) apertissimè mihi videntur labi. Etenim illud primò apud omnes constare oportet, Muliebres partes, quibus affricatur penis, nerueas esse, & membraneas, carneque expoliatas: ac proinde mira ex attrito pene dulcedine porcelli; quod sanè viris accidere nõ potest, quippe qui penem crassa pelle obductũ habeant. ergo minori quàm mulieres voluptate in coitu affici necesse est. Præterea feminæ semen emittunt calidissimum, quod non animaduersum fuisse planè mirror. nam etsi eorũ corpus paulò frigidius est, tamen vterum habent multo sanguine, multoque spiritu, atque adeò calore multo affluentem. vnde fit, vt eorum semen ex simili sãguine valde calido, puro, subtili, ac spirituoso genitum, calidissimum sit ac spiritibus maximè turgens. ergo dum emittitur in re venerea, suauissimam

mam voluptatē pariat neceſſe eſt; quippe cum titillatione ad eas partes maximè ſentientes illabatur.

Iam verò vt finē huic de ſemine diſſertationi imponam, nonnulla de eius Anima, cui vis illa Genetrix accepta referēda eſt, in medium affere neceſſe eſſet. Sed (fateor ingenuè) nihil habeo quod dicam imò nihil quod ſentiam. res eſt diuinatione potius fingēda, quàm ratiocinatione aſſequenda: adeò nimirum implicita eſt, adeò tenebricoſa, a naturaq; inuoluta. nec mirum. nam Summus ille rerum Opifex, vt ſummam atque incredibilem, qua pollet, virtutem nobis oſtenderet, mundum creauit, infinitis propemodum rerum ſpeciebus diſtinctum, varietate rerum planè admirabilem, mutua omnium ſocietate atq; conſenſu ſtupore digniſſimum, & vno verbo, neque animo neque mente compræhendendum. Vt verò in breuem quaſi epitomen rerum omnium vniuerſitatem redigeret, vt quicquid maximi, quicquid ſummi, quicquid in mundo vniuerſo ſummo ſtupore, maximaque admiratione dignum eſt, ob oculos nobis poneret, Hominem finxit atq; creauit. Plurima in eo obuiam, atque ſenſibus ipſis explorata produxit, partes omnes, omnia earum membra, ſtructuramque omnium: oculis obiecit mirabilem corporis ſtructuram, quam quiſque eum animo compræhendit, & ſecum ipſe re-

reputat, ferreus est, si non planè stupeat, ἄθεος est, si non manus ad cælum tollat. Duo verò summus rerum opifex planè obduxit ignorantiæ caligine, quæ nos admirari potius, quàm nouisse voluit: duo, inquam, vt mea fert opinio: primum ea quæ ad ratiocinationem pertinēt; obscurissima sanè, & opacis æternisque tenebris occultata. quis enim vel subtilissimè acutissimèque ratiocinando ratiocinandi modum assequi potest? quis mentis & intelligentiæ, hoc est, diuinæ huius actionis instrumentum cerebrum esse, putidam nempe, si substantiam spectes, inelegantē, rudemq; molem, sibi persuadet? Quis etiam (quod est alterum a natura nobis obiectum non scientiæ, sed admirationis caussa.) Quis inquam est, qui vim illam, qua semen, rudior certè, quàm cerebrum, materia, in animal efformatur animo comprehendere possit? Sanè cum quis illa duo, sanguinem & semen, hominis principia accuratiùs secum ipse reputat, rudemque eorum substantiam & molem informem: mox ea videt in tot partes mirabiliter explicata, tāto artificio constructa, mutua sympathia ac cognatione consociata;

Stupet, obtutuque hæret defixus in vno:

est enim opus, in quo τέχνη καὶ σοφία μεγίστη. i. ars & sapientia maximè apparet.

Ceterùm ne planè iners videar, aliquid addam de meo penu. In generatione hominis

minis duplex functio, duplex facultas, Immutatrix siue alteratrix, & Formatrix. Illa a calore fit tum vtriusque seminis, tum ipsius vteri. vero enim simile est, cum primum maris & feminæ semina in vterum eiaculata simul coeunt, & ab vteri calore affici, & a spiritibus ibi excitatis alterari: vnde fit, vt a duplici veluti agente affecta illa semina immutentur, præparentur, aptaq; reddantur ad formam suscipiendam. Quid autem sit, quod promit formã istam informatque fœtum, cui nam insit vis illa præcipua, quæ semen, sanguinem, fœtumque viuificat, id sanè obscurum est, & in naturæ maiestate conditum. Aliqui rei difficultate obruti minimè id cognosci posse, fassi sunt; Alij verò cordati magis, atque explorandi res abditas studio incensi, id assequi tentarunt. itaque Plato mundi animam animare fœtum arbitratus est. Farnelius vt naturalem calorem e cælo accersiuit, ita formatricem animam eodèm euocauit. Iacobus Schenghius commentus est λόγον πλαστικὸν, i. formam quandam substantialem lemini superadditam, quæ tanquam instrumento vtitur semine in animalis generatione, ac formatione fœtus. Auicenna & ipse quasi Aduocans Deos in theatrum, vt soluant nodum fabulæ, Colcodeam sibi finxit, nempe intelligentiam quandam formatricem, quæ animatorum omnium for-

Digitized by Google

mas fabrefaciat. Alij alia commenti sunt. Ego verò verisimilius existimo, vim illam formatricem primariam, hoc est, principium illud, vnde potentia formatrix fluit tanquam ex fonte, in ipso semine ineſſe, ac proinde seminis formam esse illam animam, qua fœtus viuit, semenque propterea esse animatum asseuero. Hoc vt facile credam, facit primò quidem auctoritas & existimatio præstantissimorum Philosoph. & Medicorum, præsertim verò Magni Liceti, qui mihi, vt Cato Ciceroni, vnus est pro centum millibus. Summus hic vir De Spont. Viuent. Or. sexcentis in locis docet, semen animatum esse. libro verò 4. cap. 32. ita animatum docet, vt verè animal sit, imperfectum tamen, organis nempe mutilum: leonis semen ab ipso leone sola, inquit, organizatione distat: vtrumq; vniuocum esse scribit, eandemque habere formam essentialem, per quam constituantur. Neque verò noua hæc est opinio, quæ semen animatum asseuerat. nam & Hippocrates videtur id censuisse, Aristoteles, Galenus, Themistius, Philoponus, Zimara, Scaliger, Cardanus, Auega, Coiter, Mercatus, Capiuaccius, Ioubertus, Zabarella, Picolomineus, ceteri, quos sibi fauentes adiungit Sennertus: cuius quidem rationem addit satis probabilem. In semine sunt operationes animæ, ergo ipsam etiam ani-

animam ineſſe neceſſe eſt. nam fieri non poteſt, vt alicubi ſit operatio, & abſit ipſa anima, vnde fluit operatio tanquam a vero principio veraque forma. nam Eſſe & Operare indiuidua ſunt, nec vllo modo queunt ſeparari. In ſemine animæ operationes ſunt, viuificatio fœtus, & partium efformatio, vt omnes fatentur. neque enim hæ operationes debentur ſemini tanquam inſtrumento, quia forma animaque, cui accepta referenda eſt operatio, adhuc in ſemine ineſſe oportet, cum inſit potentia operandi formandique fœtum & organizandi. & potentia ab ipſo principio, vt diximus, ſeparari nequeat. Itaque ſi, vt fatentur omnes, in ſemine, ineſt potentia formatrix & operatio, animam etiam, cui accepta referri debet eiuſmodi potentia & operatio, ineſſe fatendum eſt. Ceterùm longiùs, quàm inſtituti noſtri ratio poſtulet; præteruecti ſumus, itaque de ſanguine materno, qui eſt alterũ formationis fœtus principiũ materiale, nihil eſt quod dicam; Illud ſolùm affero, eum non eſſe noxium & excrementicium, vt aliqui perperam arbitrantur, ſed ſolùm quantitate ſuperuacaneum; In fœtus verò formatione eius puriores partes influere, vt ex perfectis principijs homo conſtituatur.

De Sanitate

Cap. 4.

IAm verò si animo, quæcumque hactenus dicta sunt, recolamus, intelligemus profectò, humanum corpus istac nostra ratiocinatione ita constructum esse, vt perfectum absolutumque sit redditum, & ad omnes actiones muniaque obeunda idoneum, ac proinde sanum. Sanitas enim nil aliud est, quàm *naturalis corporis constitutio, ad actiones exercendas idonea*. cum enim corpus humanum talem omnium partium tum similarium, tum organicarum constitutionem nactum est, vt promptum paratumq; ad actiones omnes peragendas reddatur, sanum censetur. neque enim requiritur, vt actu exerceat operationes, vt sanum habeatur, sed satis est, vt eiusmodi potentia præditum sit, vt, cum libet, actiones edere possit. hæc autem potentia in illa partium omnium constitutione sita est: in similarium nempe temperamento, & organicarum recta compositione. Neque verò per huiusmodi potentiam, sed per naturalem illam constitutionem definita a nobis est sanitas, quia potentia imperfectionem quãdam designat,

vt

vt actus perfectionem; sanitas verò & perfectionem inuoluit, & imperfectionem excludit. præterea illa potentia ad actiones rectè peragendas est quid consequens sanitatem: nam quia animal sanum est, beneque constitutum secundum omnes corporis partes, ideò habere dicitur potentiam ad edendas actiones. Demum sanitas similarium in humorum & qualitatum proportione ac simmetria sita est: vt pleriq; censent: at simmetria tantùm abest, vt sit potentia, vt hanc omnino antecedat, & consequatur potentia. nam quia in partibus similaribus simmetria est, sanitas est potentiaque sequitur. Hæc eò spectant, vt innotescat, a veritate alienum esse quod a Sennerto de sanitatis ratione scriptum est, eam nempe sitam esse in potentia ad operandum, inquiens *sanitas est corporis humani eas, quæ secundum naturam sunt, actiones exercendi potentia*. Nam etsi verum est, non in operandi actu sitam esse sanitatem, (nam alioqui dormientes sani non essent) tamen non sequitur, vt in potentia consistat. neque enim valet, sanitas non in actu sita est, ergo in potentia, quia non necessariò hoc sequitur: vt neque hoc necessariò, Actu non dormit, ergo potentia dormit: solùm enim hinc licet inferre, ergo actu vigilat. Itaque sanitatis ratio & essentia non in operandi potentia, sed in recta partium constitutione, vnde poten-

BIBLIOTECA

tia illa manet, sita est. Ex quo constat Subiectum sanitatis esse partes similares & organicas, viuentes nimirum vt anima præditas. ex his enim proficiscitur actio, non ex inanimatis, vt sunt pili, vngues, similes. Hæc pauca de sanitate dixerim, vt nimirum innotescant faciliùs, quæ de Morbo in sequenti libro dicturi sumus.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS
DE MORBIS
ac Symptomatis

SECTIO PRIMA.

PRIMO libro, quo Physiologiam vniuersam comprehendimus, satis, ni fallor, superque Tyrones ad ea informauimus, quæ de Homine, Medicinæ subiecto, nouisse necesse erat. Ergo ordine sequitur, vt proximo libro, quibus idem pateat morbis, declaremus. quod vt faciliùs præstari a nobis posset, ordinem maximè ad tytonum captum accomodatum cõmenti sumus. In duas itaque Sectiones hic lib. partitus est a nobis: in prima de Morbis agitur, in altera de Symptomatis. & primam rursus Sectionem in 4. capita distribuimus. in primo de Morbi Natura, in altero de eius Differentijs, in tertio de Causis, in quarto de Signis. Et primum quidem cap. indiuiduum est; Secundum in tria membra sectum: cum enim morborum differentiæ sumantur vel a similaribus partibus, vel ab organicis, vel ab vtrisque, propterea tripartitum commodè erit hoc

secundum cap. in tria membra: in primo agitur de similarium morbis, in altero de organicis, in tertio de communibus. Tertium caput decem membra comprehendit, in primo agitur de internis morborum causis, in secundo de externis & Aere, in tertio de Cibo & potu, in quarto de Somno & vigilia, in quinto de Motu & quiete, in sexto de Excretis & retenctis, in septimo de Animi affectibus, in octauo de Specificis morborum causis & primo de Causis morborum in Intemperie, quæ propria est similarium partium, in nono de causis morborum in compositione, in decimo de causis morborũ solutæ vnitatis. Quartum cap. circa morborum signa versatur, in nouem diuisum membra; & in primo quidem similarium partium morbi explorantur, in secundo organici, in tertio in soluta vnitate, in quarto agitur de signis, quibus explorantur aliæ morborum differentiæ, in quinto signa traduntur morbificarum causarum, in sexto agitur de Prognosticis signis, in septimo de Crisibus ac diebus criticis; in octauo de Pulsibus, in nono de Vrinis. In secunda verò sectione de Symptomatibus agitur, triaq; includuntur capita, quorum primum complectitur doctrinam de Symptomatis in actione læsa; alterum in affectionibus nostri corporis, tertium in excretis & retentis: & ita breui ordine ac perspicua doctrina quæcumque spectant ad morborũ theoriam traduntur.

De

De Morbi Natura Cap. 1.

CVm noſtrum inſtitutum conſiliumque eò ſpectet, vt breui epitome tyrones inſtruamus, ſtatim ad ea, qnæ ſcitu neceſſaria ſunt, aggredimur. *Morbus igitur eſt affectus præter naturam primò ac per ſe ſenſibiliter ladens operationes*. Dicitur *Affectus*, quia etſi πάθος dicatur a Galeno, verbum quamlibet incipientem affectionem ſignificans, &, vt loquuntur, *in fieri*; tamen factam etiam abſolutamq; deſignat, ac proinde idem eſt πάθος ac διάθεσις, quæ affectionem *in facto eſſe* propriè deſignat. Dicitur *Præter naturam*, quia quod ſecundum naturam eſt, ſanitas eſt, non morbus; quod naturæ aduerſatur & obeſt, id verè morbus. Dicitur *primo & per ſe ladens ſenſibiliter operationes*, quia primò quidem morbus lædere debet actiones ſiue operationes: nam *Quicquid hominem ladit, id morbus vocatur* ait Hippocrates. Debet autem primò & per ſe, quia etiam ſymptomata lædunt, ſed non primo & per ſe. Senſibiliter, quia alioqui morbus non eſt, ſed potius leue aliquod morbi rudimentum. Argenterius acerrimus Galeno maſtix inuehitur in hanc

definitionem a Galeno magna ex parte desumptam, inquiens, morbum nō actionem primò lædere, sed facultatem: nam sua vi facultatem primò petit, ac labefactat, ex qua sequitur actio læsa. Varij varia commenti sunt, vt difficilem hunc nodum soluerent, sed verè commenti, quia *nihil*, vt dicitur, *ad fides*. ego sic existimo: primò quidem illud affero, medicum sensu duci, (nam *sola ratione in Medicina vti, non datur*, vt est apud Hippocr. de Vet. Med. *sed insistendum est ijs quæ fiunt*,) ac proinde artificem nominari Crassiusculum, vt Scaliger loqui solet: ergo si ex actione iam manifestò læsa asserit, adesse morbum, morbumque id esse, quod læsit actiones, iurè asserit, iureque proinde definit morbum esse quod primò & per se actiones lędit. Fateor morbum lædere facultatem & ex hac iam læsa læsam sequi actionem; hinc tamen non sequitur, morbum primò & per se non lædere actiones. non enim πρώτος, i. Primò prius signant, sed principaliter ac primariò: non ordinem in agendo, sed vim designat principalem, cui actio læsa accepta referenda sit: & propterea adiungitur, *Et per se*. Ergo etsi concedatur morbum immediatè facultatem lædere, negandum tamen non est, quin *Primò* lædat actiones. Deinde morbus primò, per se, & immediatè operationes ipsas lędit. nam læditur motus ab obstruente ner-

neruos materia, facultate planè incolumi, itaque nugas agit Galenomastix.

Illud etiam haud silentio prætereundũ, morbi causam a morbo non ideo differre, quod hìc sit quiddem prẹter naturã per se lædens actiones, quia etiam morbi causa idem præstat: est enim quid præter naturam ex 2. meth. 3. lædit actiones, vt quisque videt etiam luscioſus; primò & per se, quia non ex accidenti, sed verè per se lædit causa morbifica. Cui accedit quod interdum lædítur actio nullo præeunte morbo, sola causa morbifica præsente, vt accidit in cruditate ventriculi, obiecti alimentiue vitio genita. si enim quis plus assumat, quàm stomachus coquere possit, cruditates nascuntur, actione stomachi læsa, quippe quæ non ita cibos affecerit, vt planè confecerit. Statuendum igitur videtur morbi definitionem morbi causæ communem esse, ac proinde vitiosam. Ceterùm illud primo statuo, cum obiecti vitio sequitur cruditas, actio verè non lædítur, quia stomachi circumscripta est definitaque vis ac facultas; atque adeò determinatum certumque alimentum secundum naturæ leges & insitam a natura conditionem, coquere potest. non ergo quia cerasorum nucleum coquere nequit, ideò morbidus dicendus est, actioque eius aut chylosis lęsa. Causa verò morbi a morbo longè distat. non enim *primò* ideſt, vt ex-

plicauimus, primariò læsa functio causæ accepta referenda est, sed morbo. nam, hoc intercedente causa lędit actionem. Præterea abit plerumque causa, morbo manente: ergo actio lęsa, quę effectus est, non pręteritam morbi causam, sed ipsum morbum ceu parentē & causam agnoscit.

De Subiecto verò morbi nō admodum laboro: similaribus organicisque partibus inesse morbum existimo: nempe quia, morbus ex Gal. est passio corporis viuentis: viuunt autem solùm partes, nō humores, non spiritus: nempe quia morbus hęret eò, vbi actio: hęc verò in partibus, non in sanguine, spiritu, humore ve. At inquies, spiritus saltem viuunt; si non sanguis & humor. Nugas esse dixerim, nisi Scaliger id censuerit, & commentus fuerit. Spiritus, sanguis, alius quiuis humor morbi causa, non subiectum est, vt inferiùs demonstrabimus.

De Differentijs Morborum Cap. 2.

QVæ Galenus integro libro de Morborum Differētijs vberrimè scripsit, paucis hìc contrahere consilium est. Morbi differentię plurimę sunt: prima verò ac pręcipua eà est, quę a partibus, qui-

quibus insunt morbi, deriuat: Præclarè id, vt cetera omnia, diuinus Hippocrates. *Morborum omnium idem modus est, loci autem partes ve diuersitatem faciunt*. Partes verò vel similares sunt, vt principiò docuimus, vel organicę: ergo morbi primò partientur in eos, qui similaribus, in eos, qui organicis, atque demum in eos, qui vtrisque partibus insunt. Qui similares afficiunt partes, morbi *In Intemperie* dicuntur: qui organicas *In mala Compositione*: qui vtrisque *In soluta vnitate*. Et quidem iure optimò triplici hac ratione primò partiuntur morbi; cum enim eius proprium sit naturalem partium constitutionem lędere, nempe similarium temperamentum, organicarum compositionem, vtrorumque vnitatem; profectò morbi primò diuidentur in eos, qui temperamentum similarium lędit, in eos, qui organicarum structuram, in eos, qui vtrorumque continuitatem. Alię verò sunt morborum differentię minùs præcipuæ, quę sumuntur a sexcentis, vt inferiùs enarrabimus: Ergo secundum hoc caput in quatuor membra diuisum erit, primum comprehendet eos morbos qui in intemperie; alterũ eos, qui in mala compositione, tertium, qui in soluta vnitate, quartum eos, qui in alijs siti sunt.

De-

De Morbis Intemperiei Similarium Partium Proprijs Memb. 1.

ILlud meminisse oportet, temperamentum seu temperiem esse vel simplicem, vel compositam; vtramq; quadruplicem: illa est calida, frigida, humida, sicca: hæc calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca. Cum igitur pars aliqua similaris calidior, aut frigidior, siccior, humidior ve, quàm naturalis eius conditio postulet, euasit, morbus nascitur *In intemperie*, similarium partium proprius. Et quamuis organum lædatur ab tali intemperamento, exempli gratia stomachus frigescat, calescat hepar, caput ve humescat; tamen non vt organum est compositaque pars, sed vt ex similaribus constat, intemperiem subit. intemperamentum enim cum sit vera qualitas, hæret similari, ceu subiecto: caro frigescit v.g. aut calescit, os, neruus, cartilago, similis: quorum causa organum frigescere aut calescere censetur. Hoc autem intemperamentum eò intendi oportet, vt a simmetria recedat naturalique conditione: alioqui enim morbidum non erit, nec actiones lædet. Iam verò (quidquid Heurnius censeat) ex

ex morbis in intemperie duæ etiam aliæ ſpecies conſtituuntur, *Morbi totius ſubſtantia*, & ij qui *ex intemperie cum materia* naſcuntur. Illi ſunt qui ex maligna occultaq; partiũ ſimilarium qualitate oriuntur; quiq; non primis agunt qualitatibus, ſed venenatis, latentibus, & a tota ſubſtantia nobis inimicis. hi verò ſunt, qui præter primam occultam ve qualitatem, materiam ſibi aſciſcunt, qua non ſolùm intemperamentum foueatur, ſed mirum in modum morbus augeatur. Hæc autem materia, duplici de cauſa, duplici ve modo in parte aliqua hærere ſolet: vel, vt loquuntur, *Per congeſtionem*, vel *per defluxionem*: illam partis intemperies paulatim ipſa ſibi gignit. Etenim affluens in nutriendam partem alimentum eius temperamenti vitio paulatim ac ſenſim migrat in excrementum, ibique copioſum ſubcreſcit & augetur. Hæc verò aliunde in partem intemperie correptam labitur, &, vt prima, maximè auget intemperamentum.

De Morbis Structuræ Vitiatæ Organicarum Partium Propriis Memb. 2.

CVm Organum quatuor poſtulet ad perfectam abſolutamq; ſuam compoſi-

positionem, formam, numerũ, magnitudinem, & situm sequitur necessariò, vt quadruplici etiam ratione lędi possit: & primò quidem læditur, *Vbi forma conueniens membro fuerit vitiata* (sunt Galeni verba) *secundo vbi in numero reperitur vitium; tertio cum in magnitudine; quarto vbi deprauata fuerit compositio*, siue situs. Et quidem re ipsa comprobatum est, cum instrumenti forma quouis modo vitiata est, aut eiusdem numerus, magnitudo, aut situs, actionem eiusdem esse læsam, deprauatam, nempe, vel diminutam, vel ablatam necessariò. Forma verò multipliciter lædi potest, vel si curua sit, cũ recta esse oporteret, vel econtrario, si recta cum potius curua secũdum naturę leges deberet esse: aut cum rotunda est, rectitudinem suapte natura desiderans; aut cum recta, rotunditate naturà gaudens &c. Ad hoc morbi genus spectat Obstructio Meatuum, Superficiei Læuitas & Asperitas ex Gal. Art. Měd. 94. & 95. Pertinet etiam Constipatio, Compræssio, Subsidentia, Coalescentia. Obstructio meatibus accidit a crassis lentisque humoribus, a grumo sanguinis, pure, lapillis, ceteris; in venis, arterijs, hepate, liene, vesica, renibus, ceteris cauis partibus. cum enim organum obstructum est, suo munere non fungitur, aut perperam, aut diminutè, vnde morbus actioq; læsa. Obstructioni affinis est Constipatio,

quæ

quæ & ipſa eſt quædam veluti obſtructio meatuum & cauitatum a tumore aliquo, tuberculo, caruncula, aut ſimili accerſita. Compreſſio verò fit, cum cauitatũ letera concidunt, ſeſeque targunt, pondere grauata ac præſſa. Subſidentia, cum eadem cauitatum meatuumque latera nimiùm humectata ſubſident, ac veluti laxata concidunt. Coaleſcentia demum fit, cum partes mutuò coaleſcunt, & vniuntur, cum natura diſiuncta eſſe deberent, vt digiti, At verò Læuitas & Aſperitas non meatuũ, ſed ſuperficiei morbi ſunt: & illa quidem fit, cum ſuperficies, natura aſpera, humore aliquo irrigatur, & rugarum inæqualitas impletur & oblinitur, ita vt naturalis vitietur eius conſtitutio. Aſperitas verò naſcitur, cum pars, natura læuis, aut excauatur, aut attollitur: excauatur ab humore erodente, attollitur ab humore adhæreſcente & collecto: vtroque modo congenita læditur partis læuitas eiuſque actio, ac proinde morbus naſcitur formæ vitiatæ. Numerus etiam organũ vitiat, cum vel abundat, vel deficit neceſſarius: abundat quidam ſextus digitus; deficit alter ren: vtriuſque enim cauſa vitiatur actio illius organi, cui vel deficit, vel abundat numerus. Cum verò inſtrumẽtalis pars maior quàm oporteat, aut minor eſt, perperam edit actiones, vt in crure aut longiore aut breuiore ſatis conſtat. Demum compoſitio organi

vi-

vitiata cenſetur cum pars aliqua ſitum mutat, vt in articulo luxato, qui e propria ſede elapſus, actionem lædit membri peculiarem.

De Morbis Solutæ Vnitatis Vtriſq; Partibus Communibus Memb. 3.

SOlutæ continuitatis morbi communes ſunt ſimilaribus organiciſque partibus. ambę enim patent ſoluentibus cauſſis. Huius plures ſunt differentiæ, omnes ferè petitæ a modo ſoluendi, aut a parte ſoluta. Ergo ſi cæſim caro ſcindatur, *vulnus* naſcitur; ſi punctim *punctura*; ſi contuſione rumpatur *ruptura*; hæc eadem ſi non in carne reque alia molli fiat, ſed in neruo σπάσμα naſcitur ac nominatur, cum ſcilicet neruus ita tenditur, vt rumpi videatur. Iam verò ſi ſolutio continuitatis accidat in parte dura, vt oſſe, dicitur *Fractura*, & *Caries*: fractura quidem a re vel contundente, vel ſcindente: idem enim quod in carne vulnus facit, in oſſe fracturam inuehit. Caries verò a re erodente ortum ducit in oſſe. *Vlcus* demum ab eadem cauſa, non tamen in oſſe, ſed in molliori parte mu-

musculo, parenchimate, alijs similibus. Itaque solutæ vnitatis morbi erunt specie multiplices, Vulnus in carne, Punctura, & Contusio; Fractura & Caries in osse: Spasma in neruo; Vlcus in musculis aut parenchimate a re erodente, aut etiam in pura carne, vt gingiuis & penis glande: quod Galenus aperte ostendit lib. de Diff. Morb. his verbis. *Pro differentia partium, continui solutio varia sibi nomina vendicat. siquidem quæ in osse fit, fractura vocatur: quæ verò in carne contingit, vlcus, vulnus, & ruptio: quæ neruosis accidit partibus, conuulsio nominari consueuit.*

De Alijs Morborum Differentijs. Memb. 4.

GAlenus etsi accuratissimum in omni Medicinæ parte semper sese præbuerit, tamen in explicandis morborum differentijs defeciisse videtur. solùm enim in medium affert eas, quæ essentiales dicuntur, quæque desumptæ sunt a similaribus, dissimilaribus & vtrisque simul. Nos verò alios sequuti alias etiam indagabimus, quæ licet accidentalis sint, necessariæ tamen videntur. Ergo

1. Morbi alij sunt vniuersales alij particu-

ticulares: illi febres omnes quæ vniuersum corpus corripiunt: hi verò phrenitis, quæ cerebrum, spasmus, qui neruos; pleuris, quæ thoracem, & alij similes, qui vnam certam inuadunt partem.

2. Alij sunt simplices, alij compositi: illi quidem, qui nullo alio nectuntur morbo, vt febris: hi verò, qui alios sibi multos asciscunt, vt lethargus febrim, phrenitis, pleuritis, ceteræque inflammationes.

3. Alij fiunt per ἰδιοπαθείαν, alij per συμπάθειαν: illi qui non aliunde ducunt originem, sed ibi nascuntur, vbi insunt, vt hypocondriaca affectio, siue potius melancholia, capitis vitio genita, non ab hypochondrijs accersita materia. Hi verò dicuntur, qui ex alijs partibus materiam morbi causam mutuãtur, vt dolor in genu a fluxione e capite genita.

4. Alij benigni, alij maligni: illi qui aperti sunt exploratique, nec intus quicquam gerunt infidiosum: hi verò qui, vt homines aliud in ore promptum, aliud clausum habent in pectore; nam maligni morbi aliud extrinsecus præseferunt, aliud intus agunt: salutares extrinsecus videntur, intrinsecus verò necem parant.

5. Alij magni, alij parui. Magni autem tripliciter dicuntur ex Galeno, vel propter propriam essentiam, vt febris ardens; vel propter partis nobilitatem, vt phrenitis; vel propter cacoethiam, vt febris pestilẽs.

Parui

Parui autem eodem ratione tales dicentur vel propter ſuam eſſentiam vt tertiana, vel propter partis ignobilitatem, vt eriſipelas in crure, vel propter benignitatem, vt quiuis morbus benignus.

6. Alij contagioſi, alij non: illi vt peſtis, dyſenteria, lippitudo: hi autem his contrarij, tertiana febris, quartana, quotidiana, pleuritis, phrenitis, ceterique ſexcenti.

7. Alij ſalutares, alij lethales: illi, qui periculo expertes ſalute terminantur: hi, qui id agunt, vt ægrum perdant.

8. Alij aduenticij, alij hæreditarij: illi ſunt qui extrinſecus adueniunt: hi verò qui a parentibus mutuati ſunt ad morbum propenſionem, vt podagra, quæ ideo quempiam faciliùs corripit, quia eius parentes, ea laborantes, ſemen ſanguinemq; in prima fœtus conformatione ſuppeditarunt morbidum ac vitioſum.

9. Alij Sporadici, alij Pandemij: illi qui cum ſint plurium ſpecierum, plures ſimul inuadunt, vt hoc anno pleuritides ſimul, peripneumoniæ, corizæ, grauedines, catarrhi. hi autem qui eiuſdem ſpeciei plurimos ſimul corripiunt, qui duplices ſunt.

10. Alij Endemij, alij Epidemij: illi qui plures eiuſdem regionis incolas afficiunt, cauſa cõmuni quidem, tamen non aliunde accerſita, ſed ibi nata, eiuſdemque regionis propria. Hi verò ſunt qui non ſolùm paſſim vagantur, cauſamque vt illi commu-

munem habent, vt cibus, aër &c. sed etiam sunt contagiosi vtplurimum, &, quod caput est, causa non est peculiaris eius regionis in qua publicè grassantur. Plica in Polonia, Brunnus in Gallia, Varen in Geldria, Morbus Strangulatorius in Regno Neapolitano Endemij sunt, quia & plurimos corripuerunt & causam habuerunt regionum propriam. At verò Scorbutus Epidemius est, quia non in Batauia solùm vagatus est, sed in Daniam etiam irrepsit, Silesiam, Bohemiam, Frisiam aliasque regionem non paucas; atque adeò causa habuit non Batauiæ propriam, sed communem cum alijs regionibus. Et ex his patet quòd morbi.

11. Alij sint antiqui, alij noui: illi qui sexcentis ab hinc annis nati sunt, hi qui nostra patruumue ætate orti; vt Lues venerea, Brunnus gallicus, Plica polonica, Sudor anglicus, Morbus vngaricus, Morbus veruecinus a Thuano descriptus, lib. 72. Morbus Lunemburgicus, Scorbutus, Varen, Borozail, a Beuerouicio eruditissimo Medico in sua verè eleganti, concinna, ac docta *Idea Medicinæ veterum* ex Gallico descriptus. Iam verò

12. Alij sunt ordinati, alij inordinati: illi qui ordini addicti aut singulo die, aut alternis diebus, aut alio modo seruant ordinem: hi verò qui inconstantes & incerti solutique nullum seruant ordinem.

13. Alij

13. Alij continui, alij intermittentes: illi qui perennè vrgent, hi verò qui aliquando quiescunt ac intermittunt.

14. Alij breues, alij longi, siue alij acuti, alij chronici: illi qui velociter mouentur, citoq; iudicantur; hi qui segniùs progredientes tardius desinunt.

15. Alij simpliciter acuti, alij peracuti, alij acutissimi: primi 14. die terminantur, alteri septima, tertij quarta: *Acutissimi morbi & signis lethalissimis sientes, quarta die interimunt aut citiùs:* ait Hippocrates. Sunt quoque morbi acuti ἐκ μεταπτώσεως ex decidentia, qui decimamquartam diem, prætergressi, ad vigesimam vsque, imò aliquando ad vsque quadragesimam producuntur.

16. Alij demum sunt legitimi alij spurij: illi qui omnes ad gignendum morbum conditiones habent: hi qui aliquas seu plurimas desiderant: vt pleuritis, a sanguineo humore, in membrana costas subcingente phlegmonem suscitans, legitima est; a bilioso verò aut pituitoso sanguine in musculis intercostalibus concluso, spuria est & ratione materiæ, & ratione loci, nempe quia vtrumque desideratur. Itaque verè comprobatur, quod ab Hippocr. dictum est, *Morborum omnium idem modus est, loci autem diuersitatem faciunt.*

De

De Cauſſis Membrorum Cap. 3.

QVamquam quatuor ſunt cauſarum genera, formalis, materialis, finalis, & efficiens, tamen cum de morbi cauſa loquimur, efficientem intelligimus. ſic Hippocrates lib. de Flat. text. 2. *Si quis cauſas corporis affecti probè nouerit, potens valde eſt ea afferre, quæ corpori conducant.* ſic Galenus in Arte Medicinali, *Sublatæ cauſæ affectus auferunt, poſitæ conſtituunt.* ſic omnes quotquot ſunt ex Medicis alijſque, qui ſapiunt. vnde Cicero Tuſcul. 3. *Medici cauſa morbi inuenta, curationem eſſe inuentam putant.* Efficientes igitur morborum cauſæ primò quidem bipartitæ ſunt in Internas, & Externas: nulla enim cauſa eſt morbum efficiens, quæ vel interiùs non lateat, vel exteriùs non ingruat. Itaque iurè hoc caput primò de Internis, de Externis poſtea aget.

De Internis Morborum Cauſis Memb. 1.

INternæ igitur cauſæ ſunt, quæ non aſſumuntur, vt alimenta; non inſpirantur, vt

vt aër, non mente comprænduntur, vt sensuum omnium obiecta; non demum alio quouis modo extrinsecùs corpori appropinquant: *sed ea sunt, quæ in corpore genita delitescunt*. Hæc siue antecedens sit, siue coniuncta; hoc est, siue morbum iam peperit, coniunctaq; sit cum parte morbo affecta; siue longè dissita a morbo affectaque parte; duplex est, vel Plethora, vel Cacochymia. Illa *est æqualis humorum omnium nimia copia*, siue est nimia sanguinis abundantia. cum enim massa sanguinea adeò excrescit, vt naturæ leges excedat, plethora nascitur, ferax morborum seminarium. Quæ quidem adhuc duplex, altera πρὸς τὴν δύναμιν, altera πρὸς ἐγγεῖα, i. ad vires & ad vasa. Illa *est, quæ ita excreuit, vt, licet vasa sanguine non infarciat, tamen impedimento est actionibus, quominus, vt decet, edantur*. Hæc verò est, *quæ mirum in modum aucta vix in venis coërceri contineriq; potest*. Tertiam haud iniurià addit Horat. Augenius ex ambobus hisce mistam, estq; ea, *quæ & vires simul grauat, & vasa extendit*. Illud tamen animaduertendum est, plenitudinem ad vasa esse perfecti absolutique sanguinis, nulla qualitate noxij, sola quantitate superuacanei. Ad vires autem plenitudinem non esse alicuius vitij expertem, sed aliquam subijsse noxam, cuius gratia vires premat: adeò vt mediam quandam cõditionem sortita sit inter ple-

thoram quo ad vasa, & cacochymiam. si enim non quantitate nimia molesta est, certè sequitur, vt qualitate aliqua licet perexigua morbum minetur. Vtriusque causa est victus ratio tum vberior, tum boni succi multique nutrimenti; calidum & humidum corporis temperamentum, præcipuè verò iecinoris, cuius etiam magnitudo plurimum conducit ad sanguinis vbertatem: conducit & ætas iuuenilis, vernumq; anni tempus, atque adeò temperata constitutio. Quarè plethora non solùm innotescit ex eo, quod ægri corpus sit εὐκρατώτον, ac optimè temperatum, sit ætatis florentis, cibis optimis vsum fuerit, vt vsum fuisse eũ, qui plenitudine ad vasa laborat necesse est. sed etiam quæ dicta sunt, omnia consequantur. Iam verò si quis vel vna, vel altera plenitudine laboret, facies maximè rubet, venæ turgent, corporis habitus augescit, somni sunt profundi, pulsus magni, hilares demùm ac iucundi sunt quicumq; hisce plethoris laborant. Cacochymia verò longè diuersa ab his est & natura & effectu. Etenim & deterior est, & morbos gignit deteriores: quod sane ipsum nomen præsefert: nam κακοχυμία significat malum succum, siue humorem, aut abundantiam malorum humorum. *Est igitur cuiusuis humoris præter sanguinem abundantia.* Vnde triplex esse censetur, imò quadruplex, biliosa, pituitosa,

tosa, melancholica, serosa. Biliosa est, in qua cuiusuis bilis species abundat, siue flaua, siue atra, siue pallida, aut porracea, æruginosa, vitellina, isatodes, de quibus satis superq; dictũ est lib. 1. Sect. 1. Cap. 5. vbi de Humoribus actum fuit. Pituitosa cacochimia & ipsa est, in qua pituita ceteros vincit humores, siue naturalis ea sit, siue præternaturalis, vt dulcis seu insipida, acida, salsa, vitrea. Melancholica est, quæ nimiam melãcholiæ copiã continet. Huic si referas atram bilem nõ planè aberrabis: nam etsi inter bilis species præternaturalis recensita a nobis sit, tamen in melancholiæ album referri potest. Hæc autem triplex est, alia quæ fit ex melancholico succo a calore nimio vsto siccatoque, alia quæ ex sanguine torrefacto, tertia quæ ex bile flaua nimio calore affecta torrefacta censetur. Serosa demum est, in qua serosus humor præter quàm quòd expedit, abundat. Iam verò horum omnium causas, ac diagnostica signa adscribere, alienũ non videtur. nam etsi morborum signa inferiùs a nobis sint afferenda, tamen causarum haud importunè hìc adscribi possunt, ne distinctione nimia confusionem tyronum menti effundamus. Et biliosæ quidem cacochymiæ causa primo quidem est alimentum calidum siccumque, salita omnia, aromata omnia, generosaq; vina; viscerum, præsertim verò iecinoris, calidum

dum ſiccumque temperamentum, ætas iuuenilis, anni tempus æſtiuum, inædia, vigilia, exercitatio nimia. nam, vt eſt apud Hippocr. *Quibus humiditas conducit, ijs neq; labor neque inædia, neque vigilia conuenit*, nempe quia hæc omnia exiccant & calefaciunt, bilemque gignunt, & cacochymiam augent biliosam. Innoteſcit autem ex ijſdem omnibus: nam pleraq; & cauſæ ſunt, & ſigna. igitur æſus rerum calidarum ac ſiccarum, aromatum, ſalitotum, iecinoris calidum ſiccumq; temperamentum, ætas, æſtas, vigilia, inædia, labor nimius, ceteraque recenſita oſtendunt biliosam cacochymiam. Innoteſcit etiam ex ijs, quæ conſequuntur, vt habitus corporis ſiccus & gracilis, flauo, vel ſimili veſtitus pilo, flauoq; aut citrino colore obductus; venarum magnitudo, calorque proinde tactui moleſtus, ſomni breues, ſitis, niſi ſtomachus langueat, aluus ſegnior, flaua, tinctaque vrina; Senſus omnes vegeti ac prompti, acre ingenium, promptum, expeditum, in iram propentio, & cetera non pauca.

Pituitoſam verò cacochymiam & contraria gignunt, & contraria teſtantur. nam oritur ex cibis frigidis humidiſque, in ætate inclinante, in qua cum calor paulatim langueat, frigus ſenſim irrepit; hyemali tempore, humida ac pluuioſa cõſtitutione & auſtrali; diuturna quiete ac ſegnitie.

Ergo

Ergo hanc comitantur pinguior corporis habitus, albo obductus colore, aut subliuido, piloque haud absimili, segnities non mediocris, somnus longus & ad motum, & ad sensus omnes internos externosque, torpor & hæbetudo; venæ paruæ, calor tactui nullus, vrina subalbida, aluus laxior, ceteraque huiusmodi.

Melancholica & ipsa a causis innotescit, & a consequentibus. ergo ortam esse necesse est a frigidis ficcisq; alimentis, ætate senili, vergente autumno, constitutione frigida ficcaque & in visceribus eiusmodi qualitatibus præditis. Itaque hæc necessariò consequentur, corporis habitus siccus, niger, nigroque obductus pilo, animus tristis, meticulosus, mæstus, fixus diuq; hæres in obiecto: aluus paulò siccior, vrina pauca, aliquando verò permulta aliaq; similia.

Serosam demùm cacochymiam difficiliùs indagamus: coniectare tamen possumus ex causa, & anteacta victus ratione, & fructibus, qui aquosum gignere solent alimentum, aut (veriùs dicam) excrementum; ex largiori potu, præsertim verò aquæ quæ eius causam esse solent: ex consequentibus autem perpaucis conijcimus: illud ferè sequi solet, vrinæ copia non mediocris, & extracti sanguinis affluens inundansque serum.

Hactenus cacochymiæ omnes, quæ internæ morborum causæ esse censentur:

Digitized by Google

nunc verò alias, si quæ sunt, in medium afferamus. Flatus inter eas numerari posse videntur, calculi, vermes: nam hæc omnia sæpe in intimis corporis partibus & generantur, & morbos pariunt haud contemnendos. De Flatibus nemo est, qui vel ab Hippocrate id nō didicerit, vel re doctus non cognouerit. Etenim Hippocrates librum conscripsit *De Flatibus*, vbi probat morbos omnes a flatu fieri posse: *Hactenus ergo morborum omnium causas flatus esse demonstraui*, inquit text. vltimo: quod & de externo & de interno flatu intelligi potest. Testantur id ipsum vel hypochondriaci, qui ab solo flatu vaporeue varijs morborum ac symptomatum generibus vexātur. Quomodò verò gignantur flatus, accuratiùs inquirere, hic superuacaneum. Illud solùm monuerim, verum quidem esse, eos generari caloris infirmitate, cum 5. hìc in materia agens, atque contendens eam absumere, sine frustratus in vaporem flatumque eleuat: sed tamen non semper id verum: nam sæpe contingit, vt nimiùs calor intentiorq; eumdem suscitet, nempe non caloris infirmitate, sed vitio obiecti. nam cum validus firmusque calor agit in materiam lentam viscidamque nimis, ac proinde ad resistendum propulsandamq; caloris actionem aptissimam, eam superare, conficere, atq; absumere nequit: vnde fit, vt plurima eius portio in flatus exhalet.

Fiunt

Fiunt etiam flatus a nimio calore non solum lenti crassique obiecti vitio, sed etiam nimia eius ac viscerum efferuescentia. etenim cum calore æstuant hypochondria exhalationes feruidæ eleuantur, quæ huc illuc oberrantes seseq; in varias partes insinuantes multipliciter ægros male habét. Quarè oportuniùs quandoq; a nobis consultum fuit hypochondriacis refrigerantibus potius, quàm calefacientibus pharmacis, sero lactis, aquis acidulis, ceteriſque, quibus hypochondriorum calor, hepatis præsertim temperaretur.

Calculi autem quacumque in parte generentur, morbos inuehunt, læduntq; actiones. Generantur autem fœculenta, limosaq; materia terrea, crassa, lentaque, uon quidem a frigore congelante, vt nonnulli censent, (quis enim sibi persuaderi potest, tantum in viuente corpore frigus esse, quod coagmentare atque coangulare in lapidem possit materiam?) sed a calore potius valido nimioque absumente tenuiores materiæ partes, crassiores verò in lapidem densante atque cogente. Neque id perpetuò verũ, quia etiam a moderato calore lapides gigni possunt: nam exploratum est apud Hollerij Scholiographum in cerebro natum fuisse calculum; in palpebra apud Aetium; sub lingua apud Nicolaum Florent. subtus dentes, ideſt, in cauea anteriorum dentiũ inferioris maxillæ

seu mandibulæ, vbi latent alimentorum reliquia, temporisque processu durescunt in lapillos, quos singulis prope annis scalpello extraho (nam de me ipso loquor) si igitur in hisce locis generantur lapides certè dubium esse non potest, quin a moderato temperatoq; calore gignantur. in cerebro enim nemo sibi magnum esse calorem somniare potest, neq; in palpebris, aut caueola meorum dentium, quę perennè a frigido perflatur aëre. De calculis verò, qui renibus adnascuntur, illud monuerim, hallucinari eos, qui a nimio calore semper eos generari arbitrantur. nam si ita sese res haberet, qui renibus seruent, laborarent omnes renũ calculis, præsertim qui lentis viscidisque cibis vtuntur, quod tamen non contingit: nam videas sexcentos renibus calidissimos, viscidis, lentisq; cibis vtentes, qui nullo calculo laborent. Huius ratio, si Fernelium consulas, vis est lapidifica, quæ ijs non inest: si verò accuratiùs in Galeni diuina scripta verseris, meatuum conformationem esse statues. Etenim eiusmodi sunt aliqui tum emulgẽtium, tum renum, atque vreterum naturali conformatione prediti, vt laxas patentesque eas vias nacti fuerint; aliqui econtra angustas & adstrictas. Illi etiam crassum, lentumque sanguinis excrementum facilè allicuint, facilè detrudunt: hi verò etiam tenue retinent, diuq; seruant. Quarè

vt

vt illi, etiamsi accedat renum calor non mediocris, tamen per patentes vias exturbant attractum excrementum: ita in his etiamsi calor sit mediocris, ac temperatus, naturæq; leges non excedat, facilè tamen retinetur serosum illud excrementum, & a mediocri calore in lapidem excoquitur. Atque hæc est vera Vis lapidifica, non ea quam commentus est Fernelius: nam formam quandam specificam in renibus constituere, per quam lapides generantur, est sommiare, & histrionum more *Aduocare Deos in theatrum*, vt soluant implicitum noduni fabulæ. Prętereà iniquè nobiscum egisset natura, si eiusmodi pernicioſam formam renibus inseruisset. Paulò longiùs, quàm nostrum permittat institutum, versari libuit in calculorum generatione, quia non vulgaria attulimus in medium, neque vulgò peruagata.

De Vermibus pauca dicam, cum liquido constet, & interiùs in corpore generari, & morborum esse causas internas. *In vtraquaque corporis parte generari posse vermes* docet Marcellus Donatus (cuius vtor verbis) lib. 4. cap. 26. & pluribus id probat experimentis ac rationibus, quas breuitati consulens lubens prætermitto.

De Externis Morborum Causis ac Primo de Aëre Memb. 2.

INternas morborum causas externæ ordinè sequuntur, græcè προκαταρτικὴ. hę tot esse censentur, quot sunt res non naturales, nempe Aër ambiens, Cibus & potus, Motus & quies, Somnus & vigilia, Excreta & retenta, Animi affectiones. omnia enim hæc, singulaue ita possunt corpus afficere, vt in morbum compellant.

Aër verò in hoc præstando maxima omnium vi pollet, *Plus potest*, inquit Galenus, *aër solus, quàm cetera res omnes non naturales*. neque iniurià. Etenim aër perpetuò nobis adhęret, quòcumq; imus, quoue simus in loco, nobis præsto est: *nobiscum videt*, ait Cicero, *nobiscum audit, nobiscum sonat, mouetur nobiscum:* inspiratus quaquauersus peruadit, integris viribus ad principes partes pertingit; nulla sæpe affectus qualitate nostro corpori amica cerebrum petit, illudque suo arbitratu alterat, afficit, immutatque: in cor irrepit parum alteratus, in pulmones certè labitur purus putus, in stomachum, in ceteras, quas lubet, partes. Itaque vt *aër tenuitate & calore temperatus vitalem & salutarem spiritum præbet ani-*

animantibus, (vt est apud Cicer. 2. de Natura Deorum.) ita intemperatus *Maximus est omnium, quæ corpori accidunt, & auctor & dominus*, vt ait Hippocr. lib. de Flat. 4. adeò vt iurè dictitare possimus cũ eodem diuino sene *Aër mortalibus vitæ, ægris morborum solus est auctor*. Quarè purum hunc tenuemque esse oportet, nulla præditum aliena, præsertim noxia, qualitate, non crassum, non concretum, non coërcitum & veluti stagnantem, sed perflatum læniq; aura agitatum. vnde fit, vt qui montibus, collibusue coërcetur; qui in demisso, imoque loco quiescit; qui e cloacis, ac lacunis expirat; qui putridas e criptis ac cemeterijs exhalantes excipit qualitates, prauus sit, noxius, & gignendis morbis accomodatus. Præterea qui calidus nimis, nimisq; frigidus, humidus, aut siccus est. Etenim calidior, quàm par sit, poros cutisque meatus aperit, euocatque calorem & spiritus; ac proinde partes naturales coctionibus dicatas robore exhaurit, vnde sequitur ἀπεψία, & βραδυπεψία, cruditas & perperam facta concoctio. Quod si maior adhuc sit calor, illud præterea sequitur, vt bilis aduratur migretque in atram, morbis gignendis fœcundum seminarium. Frigidus verò etsi poros occludens calorem interiùs compellat, coctionibusque opitulari videatur; tamen *est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos vltra citraque nequit*

consistere rectum. si temperatum ac modicum sit frigus, cogens calorem, viscera reddit robustiora: si verò nimius sit ac diuturniùs, pituitosos crudosq; humores coaceruat: vnde morborum prouentus ac diuturnitas; torpor, segnities, hæbetudo, ceteraque corporis animique vitia non contemnenda. Quòd si humiditas accedat, hæc omnia mirè augescunt: si verò siccitas miteſcunt non parum, nisi tamen & hæc nimia sit, alioqui enim poros cogens atque corrugans suliginosa excrementa exitu prohibet. Iam verò si non primas solùm aëris qualitates spectemus, sed eas, quas subit, mutationes, intelligemus sanè, multorum eum esse morborum causſam. *Temporũ mutationes*, inquit Hippocrates, *morbos pariunt*, nempe quia mutatur aër & alteratur. Mutationes autem siue statæ sint, atque constitutę, vt hyems in ver, ver in æstatem, hæc in autumnum, autumnus in hyemem: siue incertæ atque inconstantes, quales hic Romæ quotidie experimur, malæ sunt & noxiæ. Nam primæ illę etsi sensim irrepunt, tamen ad contrarium temperamentum deducunt corpora, vel certè ex vno in aliud. Hyems frigida & humida, frigidum humidumque corpus veri tradit, calido humidoque. Ver idem corpus calidæ siccæque æstati committit, imò, (quod magis dolendum est) maximè calidæ, siccęque maximè. sic

æstas

æstas autumno, hic hyemi. Quarè corpus quandoque maximè alget, molestèque riget; quandoque calore æstuat vix ferendo. vnde fit, vt æstate præ calore nimio æstuans corpus liquescat fundaturq;, spiritibus natiuoque calore exhauriatur, omnesque eius facultates langueant, appetitu deiecto, coctione læsa, siti excitata, ac tota naturali œconomia labefacta, corpus pateat acutis ac lethalibus morbis. Econtrario verò hyeme rigent ita corpora frigentque, vt licet firmiora sint, percellantur tamen vehementer ab asperioris aëris iniuria, atque perculsa multis morbis reddantur obnoxia. De Autumno idem, ac ferè idem de Vere censendũ est. Quod si in hisce anni tẽporibus inordinatæ contingant mutationes, aër inconstanter alteratus plurium morborum est ferax.

Venti sunt aëri affines, eiusq; mutationi plurimum conducunt. Nemo est, qui nesciat, ac re doctus non intellexerit, quantam Romæ nostris corporibus vel auster, vel aquilo alterationem pariat. Nam ventus siue sit Exhalatio ficca, e terra manans, ac circum eam vi acta motaque, vt censuit Aristoteles; siue, vt Plutarchus mauult, sit a calore solis fusus aër, liquatus, motusq;; siue demum, vt Seneca arbitratus est, sit exhalatio ex mari terraque hausta, atque aliquò vi expræssa extrusaque: certè illud est vento peculiare, vt e regionibus, per

quas

quas agitur, vapores haurìat ebibatque, & corporibus impertiatur. vnde fit, vt auster hìc Romæ e meridionali plaga per mediterraneum huc appellens, calidus sit humidusque: & per Romani ægri pestilentes lacunas paludesque præteruectus pernicioſas ac verè malignas ad nos qualitates aduehat. Quarè non solùm grauedines atque catarrhos inducit, non solùm corpora mirum in modũ laxat, frangit, hebetat; sed etiam prauis imbutus qualitatibus atque exhalationibus citam ac ferè repentinam parat necem. nam ne semel quidem absq; manifesto ac præsentaneo mortis periculo potest quis in Romano agro noctem ducere: plurimos interijsse vidi, sola æstiuo tempore pernoctatione.

De Cibo & Potu Memb. 3.

AD sanitatem tuendam, curandosque morbos adeò conducit cibi potusq; moderatio ac temperantia, vt Hippocrates dixerit lib. de Vet. Med. *Nihil opus esse arte medica, si eadem omnes vterentur diæta & ea assumerent, qua sani edunt ac bibunt.* Cibaria data nobis sunt a natura ad substendendam vitam, producendamque, non ad gustatus libidinem, & ingluuiem:

Aedere

Aedere vt viuas, non viuere, vt edas, dixit Comicus: Moderatus esse debet, nec plus, nec minùs assumendum, quàm exigat necessitas. nam sicuti *fames magnam potentiam in nobis habet & sanandi & occidendi*, vt dixit Hippocrates, ita *Prauior omni fame fagina*, vt est apud Horat. Hæc autem moderatio sita est in qualitate, quantitate, tempore, ac sumendi modo. itaque Cibus εὔχυμος sit oportet, & εὔπεπτος, boni succi, & facilis coctionis. boni autem succi sunt, qui temperati in calore, frigore, humore, ac siccitate; qui neque crassi nimis, neque nimis tenaces, non lenti, non terrei, non alterius aut qualitatis aut substantiæ, parum nutriendo accomodatæ. Quod si tales sint cibi sanitatis causa existunt, sin minùs, morborum ferax seminarium. In qualitate autem eligenda spectanda maximè est propria corporis temperies: nam siccis ac bilioſis non quæ ad calorem ac siccitatem vergunt, exhibuda sunt, sed quę paululum a temperie deflectentia, ad humidum frigidumque declinant: & econtrario humidis ac natura pituitosis non frigida humidaq; alimenta exhibenda sunt, sed quæ nonnihil ad calorem ac siccitatem vergant. nam etsi *Similia similibus conseruentur*, tamen intelligẽdum id est, si prę sẽ sumatur, de eo corpore, quod εὔκρατον est, ac bene temperatum: hoc enim similibus cibarijs conseruandũ; humidius verò

aut

aut calidius non humidiora aut calidiora exigit alimenta, quia non planè id temperatum est, ac proinde non ad vnguem in eodem seruandum est temperamẽto, quotidianis alimentis, sed eius potius excedens qualitas contrarijs temperanda. Vel certè intelligendum est vulgatum illud axioma conditione adhibita, si nimirum simile conseruandum est, simili conseruandum: quemadmodum, si contrarium curandum est, contrarijs curandum. Neque enim vllum ex his perpetuò verum est: nam etiam contraria a similibus curantur: *Ab ijsdem morbus fit, & ab ijsdem adhibitis curatur, vt vomiteis vomitum soluit*, ait Hippocrates. Quantitas multò maximè spectanda est: nihil enim est, quod morbis gignendis aptius sit, quàm nimia repletio; obruit hæc naturalem calorem, ventriculum distendit, prohibetque quominus eius os corrugetur & claudatur, ac proinde calor promptè exhalare potest: vnde cruditates necessariò sequũtur, morborum omnium certissimæ cau[illegible]: *Vitia primæ coctionis non emendantur aut a secunda, aut a tertia*, dixit Gal. & Hippocr. 6. epid. *Exercitatio sanitatis est, non impleri cibis*. De Tempore etiam maximè solliciti esse debemus: nisi enim debito tempore exhibeãtur alimenta, periculum est, ne perturbetur coctio, eruditasque subcrescat morborum causa. Itaque prius ingestum alimentum coctum

sit,

sit, ante quàm posterius accipiatur: consueta etiam hora si fieri potest sumatur alimentum, exercitatione præeunte, iuxta illud Hippocratis *Labor cibum præcedat*; & nunquam nisi irritante appetitu sumatur. itaque eorum institutum non improbo, qui posthabita hora certa & constituta, tunc comedunt, cum fames irrepit. Sumendi modus non planè contemnendus: nam etsi is non religiosè spectandus est, tamen sæpe animaduertendus: quæ aluum commouent posteriùs accipere noxium est; sicuti quæ adstringunt, priùs: dura coctuque difficilia consequantur, præcedant verò mollia & coctu facilia. Illud tamen monuerim, quę fundum ventriculi petunt etiamsi coctu paululum difficiliora sint, citius tamen coqui, quàm ea, quæ posteriùs ingeruntur locaturq; supra iam ingesta: nempe quia verà ac validior chylosis officina fundus est, quippe substantia densior, venis arteriisque calidior, & ad coquendum aptior. ergo si paululum duriora primo ingerantur, ne putes crimen id esse maiestatis, vt vulgus medicorum opinatur. Illud etiam monuerim, quæ coctu faciliora priusque ingesta sunt, coqui certè prius, non tamen prius e stomacho elabi, quia fundus demissior est, qnàm pilorus. ergo ea prius ex ventriculo per pilorum in intestina exeunt, quæ cocta in chylumque redacta, proxima sunt orificio inferiori.

Ne-

Neque dicas, comparatum esse a natura, vt statim atque pars aliqua alimenti cocta est in chylum, elabatur e stomacho, ijs solùm retentis alimenti partibus, quæ posteriùs coquuntur: Quia id dictu, quàm probatu facilius est. non enim pars prius cocta attrahitur ab intestinis & vi stomacho subripitur, quia gratis tantam eis vim tribuimus: neque ab stomacho extruditur, quia hic retinet ceteras alimenti partes ad perfectam coctionem: neque enim simul eodemque tempore & retinere, & expellere potest. Hæc eò spectant, vt intelligas commodum quidam esse ea prius accipere, quæ faciliora sunt coctu, non tamen id religiosè semper obseruandum. Obseruandum autem semper, quod ab Hippocrate scriptum est, varia ciborum genera noxia esse: ait *Qua sunt inæqualia seditionem mouent*. De Potu verò scire oportet, vinum potionum omnium esse optimum, idque album, tenue, subdulce, maturum, ὀλιγοφόρον, hoc est paucum, non πολυφόρον, idest vinosum, non crassum, non acerbum, non planè dulce, non immaturum, quia hæc morbis gignendis apta nataque sunt: neque recentia valde, aut valde antiqua; nam illa obstructionibus inducendis aptissima sunt, hæc capiti valde noxia, mentem turbant, spiritus accendunt, catarrhos augent, & concitant, neruos percellunt. Vno verbo vinũ modicũ esto, tenue ὀλιγοφόρον:

nam

nam huc quò propriùs vina accedunt, eò magis redolent propriam naturam. vt enim censuit Empedocles, vinum est aqua in arbore putrefacta, hoc est, probè cocta, cuius conditionis vinum laudatur a Galeno 8. meth. diciturque *ad omnia vtilius esse, quàm aqua vtpote quod & coctiones iuuent, & vrinas mouent, & sudores proliciat. etenim constat Hippocratem non in diarijs modo febribus, verum in acutis etiam vinum porrigere.* Zeno dictitabat, *Vino dulcescere animum vt aqua lupini.* Rufus apud Aetium, *Mansuefit ac lætatur anima vsu vini.* Vinum alios facit mites, alios iracundos, alios incontinentes, alios aliter affectos, Ostendit hos effectus, nõ eos efficit, ait Bolengerus; simulatos enim mores detegit, ac demonstrat, quod latuerat: vnde *In vino veritas* ex veteri prouerbio. Apud Laertium appositè dictum est, Vitem ferre tres vuas, primam voluptatis, alteram ebrietatis, tertiam fastidij: vnde sumptum est illud Asclepiedis, primum cyathum siti dicatum esse, alterum voluptati, tertium ebrietati, quartum insaniæ. & sanè verissimum est, quia immodicè ac intemperãter sumptum *Vinum omnium malorum metropolis est,* vt ait Athenæus. Olim Argiui, Thebani, Thraces, & Scythæ omniũ bibaciſſimi, vt nunc Germani: vnde olim dictitari consueuit, *Scytharum est merum bibere:* & nunc vulgatum esse deberet illud Bolengeri, *In Asclaedia*

dia fons est, odium vini afferens, vellem, inquit, vt esset in Germania. imò in omni transalpina regione. Romulus econtra, lege cauit, ne mulier vinum biberet, quod si maritus vinum bibentem deprehendisset, impunè eam occidere per leges licebat. Aegyptiorum sacerdotes a vino abstinebant, nempe quia putabant, vinum esse sanguinem gygantum, qui cum Dijs bellauerunt. De ægris verò extat Zeleuci lex, vt si æger iniussu medici vinum bibisset, etiamsi conualescaret, morte mulctaretur. Iam verò vinum Aqua temperandum, vnde Bacchus a Nymphis lotus dicitur. Quod verò ait Aristoteles in Problem. vinum aqua lotum magis noxium esse ac inebriare magis, sine ratione dictum puto, cum hæc retundat eius vim, hebetetque spiritus.

Aqua verò, quæ & ipsa potioni aptissima est, leuis esse oportet, saporis expers, pellucida, calescat facilè, facilèque frigescat, vt docet Hippocr. lib. de Aquis. Fontanarum omnium optima, fluuiorum omnium pessima, præsertim verò magnorum fluminum, cuiusmodi est tyberina, quorum aquæ apertis verbis damnantur ab Hippocrate loco nuper laudato. Quod autem tyberis aqua *e magnis fluminibus* dici mereatur, ex eo patet, quòd flumina apud Hippocratem non metiantur aquarum vbertate & copia, sed diuersitate potius:

vnde

vnde hac ratione Nilus tyberi maior vix erit. nam etsi aquarum multitudine longè superet, diuersitate tamen superatur. Ideo damnantur ab Hippocrate aquæ e magnis fluminibus, quia *Sunt omnigenæ, & aliæ deferuntur*, hoc est, quia variæ, multiplices & inæquales aquæ flumen ingrediuntur: *quæ autem sunt inæquales seditionẽ mouent* inquit Hippocrates, ac proinde gignendis morbis aptiores. Et sanè si accuratiùs perpendamus, quæ tex. 21. citati lib. prodita sunt ab Hippocrate, intelligemus profectò, omnino vituperandã esse tyberis aquam. scatet enim ijs omnibus vitijs, quæ prauorum fluminum recensentur ab eo loc. cit. nam & plurimos recipit aquas, & dissimiles, *Non enim*, inquit, *fieri potest vt alia aqua similis sit alij: sed aliæ dulces sunt, aliæ salsæ, & aluminosæ, aliæ de calidis fluunt*. In tyberi verò aliæ præterea sulphureæ sunt, vt Anienis, aliæ calchantinę, vt quæ miscentur prope Miluium pontem, quæ etsi paucæ sint, cum tamen flumen riget eas regiones calchanto scatentes, lambit exugitq; vim illam ac qualitatem vitrioli, penitusque ebibit: adde, quod aliæ sint, prẹter quam quod credibile est, bituminosę, vt Velini annis; aliæ boli armeni præditę, vt Topini, siue Nucerinæ; aliæ ferreæ, aliæ demum, alijs mineralibus noxijsque qualitatibus præditæ. Vnde fit, vt difficile in vnã coeãt substantiam naturamque, sed aliæ ab alijs

dissi-

dissidentes inter sese pugnent, & integras quæque vires vel parum retusas in ea colluuie tueantur. Vnde etiam fit, vt stomachum viscera que percellant, vt ægrè a stomacho coquãtur: quod sanè ex eò clariùs innotescit, quod acriter ac diutissimè alterantibus causis, externisq; iniurijs resistãt. Aquam bibi tyberinã viginti integros annos in vinea Cardinalis Tonti asseruatam. quod si tandiù incolumis perseuerauit, quis potest inficiari, eam maxima externas propulsandi iniurias vi præditam esse, ? compacta nimirum duraque esse substantia ? quis negabit, difficillimè prorsus & ægerrimè a stomacho alterari, coqui, atq; euinci? quis dissimilare audet, non, vt decet, alteratam, non subactam, non confectam in venas illabi, in renes ferri, in vesicam detrudi? Acriùs inueherer atq; acerbiùs in aquam tyberinã, nisi me mei amantissimi, optimi, doctique viri Baldij Iatrophysica Disquisitio reuocaret. Aqua igitur esto non e magnis fluminibus, sed ex electis cisternis, saluberrimisque fontibus, quę vergant in orientem solem, sitæ sint ad radices collium, sint cretaceæ, aquas verò coloris expertes, odoris, saporisque emittant, item tenues, pellucidas, leues, frigescentes & calescentes facilè: huiusmodi sunt aquæ Triuij fontis & Vaticani, a Summo Pont. Vrbano VIII. restitutæ aut potius cõstitutæ, quæ reuerà omniũ optimæ

mæ ac saluberrimę ab omnibus, qui sapiũt, constanter habentur. Hæ igitur tantùm abest, vt morborum sint causę, vt potius eos arceant ac propulsent. Vtinam in nostro Sancti Spiritus Hospitali hac vti daretur aqua: profectò longè pudentiùs consultum esset ęgrorum valetudini. His verò contrariæ aquæ gignendis morbis accomodatæ sunt, eoque magis si intempestiuè sumantur & vberiùs.

De Somno & Vigilia Memb. 4.

SOmnus maximè est & gignendis & curandis morbis oportunus: gignẽdis quidem, quæ nimius est & immoderatus, qui intempestiuus, qui turbulentus, interciſus, vel sæpe interpolatus, nimius prohibens humorum excretiones, quæ per vigiliam fieri solent, morbis gignendis materiam suppeditat. intempestiuum verè prauum esse, vel Plautus nouit, qui in Mostell. act. 3. sce. 2. ait

Non bonus somnus est de prandio
Interdiu vigilare, inquit Hippocrates, *nocte dormire*. Interciſus atq; turbidus ideò malus est, quia coctiones, quorum gratia institutus a natura est, interturbantur exteriùs per vigilias reuocato calore, vel aliò euo-

euocato. Somnus igitur esto quietus, placidus, continuus, mediocris a sex ad octo horas, iuxta ætatem, temperamentum, anni tempus, consuetudinem. Hac ratione initus somnus tantùm abest, vt morborum causa sit, vt potius salubre medicamentũ: nam reficit vires, reuocat calorem ad naturales partes ac principales, colligit spiritos per febrem morbosque alios dissipatos absumptosque digerit, attenuat, coquit quicqnid morbificum est in venis, corporisq; habitu, aliaq; sexcenta præstat ægro, sanoque saluberrima. Auicenna iubet ineundum esse somnum ex sinistro latere, vt nimirum in fundum ventriculi cibus descendat; deinde in dextrum, vt stomachus incumbat iecinori, a quo foueatur. Supinùs autem noxius ideo censetur, quòd ad neruorum principia humores trudat: pronus, quia ad oculos ducat humores. Iam verò vigilia valde moderata sit, necesse est: nimia enim spiritus ab internis partibus auocans coctiones frangit ac labefactat, vnde cruditates nascuntur; sanguinem attenuat, bilem auget, corpus enunciat, cerebrum lædit, distributionem nimiam molitur, ac proinde internæ partes exhauriuntur, vnde mira debilitas, viscerum languor, oris ventriculi morsus aliaq; non pauca naturæ inimica.

De

De Motu & Quiete Memb. 5.

DE motu atque exercitatione ea inualuit opinio, vt omnes sibi maximè laborādum arbitrentur, nec nisi motu atq; exercitatione se vitam ducere posse incolumem sibi persuadeant. nemo est, qui non conqueratur de exercitatione vel intermissa, vel non pro voto inita atque suscepta, nulla ætatum, temperamenti nulla, nullaq; corporis habitus habita ratione; promiscuè omnes eò salubriùs se degere posse censent, quò contentiùs ambulent. Ego, qui tum in Hippocratis Galenique monumenta, quantū fieri per me licuit, accuratè versatus; tum reipsa doctus intellexi ac didici, exercitationē nonnunquam vsui non esse: irridere soleo hosce ambulatores. Exercitatio saluberrima est, atque tutissimum sanitatis præsidium, oportunè appositèque suscepta: hoc est, ante cibum, mediocris, neq; concitatior neque remissior, initio lenta, mox paulatim contentior, demum sensim remissior: eo vsque peragendum, dum corpus calescat, paululum madeat, ac humiditas quædam vel potius mador exudet; aut veriùs, donec vires nonnihil fatigentur. hæc enim salubris est, &

ſummopere commendanda: præſertim verò in temperamento pituitoſo, ac melancholico atque etiam ſangnineo; corporis habitu pinguiori, ætate declinante atq: ſenili: in his enim omnibus ſummopere conducit, & quantò quiſq; ab his longiùs recedit, tanto minùs ſalubrem experitur exercitationem. Vnde experimento conſtat, exercitationem deterrimam eſſe poſt cibum, contentiorem & immoderatam, a calidis ficciſque, bilioſis atque iuuenibus ſuſceptam. obſtructiones enim parit, ſpiritus exhalat, ſolidas partes exiccat, refrigerat, atque abſumit, robur diſſoluit. Merito igitur Hippocrates *Quibus humiditas conducit, ijs neque labor, neque inedia, neque vigilia cõuenit.* Vnde, Quies his maximè conducit, quippe ſpiritus natura calidiores, tenuiores, & exhalationi promptiores coerceat, ac retineat, vireſque proinde tueatur. Contrarium verò præſtat vel ſi immodica ſit, vel in corpore pituitoſo, frigido, pingui. nam obtundit calorem, ſpirituſq;, corpora reddit ſegnia ac torpida, replet crudis ac pituitoſis excrementis.

De Excretis & Retentis
Memb. 6.

SI *medicina*, vt ait Hippocrates, *eſt appoſitio & detractio: appoſitio quidem eorum*

qua

quæ deficiunt, detractio verò eorum quæ abundant, sequitur, vt morbus, cui contraria medicina adhibenda est, necessariò nascatur vel a nimium appositis, vel a nimium detractis. Hæc autem sunt non solùm vtiles humores, sed etiam excrementicij. ambo enim, si modum excedant, morbos pariunt: natura gaudet mediocritate, πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, nimium omne naturæ inimicum. & Plautus. *Nimia omnia nimium exhibent negocium*. Ergo vel quæ excernenda sunt ex naturæ instituto ac lege, si vberiùs eijciantur morborum causæ esse possunt: multo magis quæ retinenda, si præter quam quod deceat, retineantur, *Alui segnities*, dixit Hippocrates, *omnium confusio est, vasorumque impuritas*: id ipsum de quauis excretione cohibita intelligendum est. nam & prohibitus sudor, & emorrhagia mensiumque purgationes, narium, palatus, cutis, & alia, si quæ sunt, excrementa euacuanda, si retineantur, aut profusiùs euacuentur, morborum causæ existunt: *Apprime namque in vita hominis vtile est, vt ne quid nimis* dixit Terentius.

De Animi Pathematis Memb. 7.

QVæ Græcis Θὰ τῆς ψυχῆς παθήματα, Ciceroni Perturbationes & ægritudines

dines animi, Gellio & Medicis eum sequutis Affectus & affectiones dicuntur (licet etiam Ciceroni aliquando affectiones dicantur) sunt animi morbi, qui corpus adeo afficere possunt, vt ægrotare cogant. Neque mirum: nam vt *Animus corporis seruitio vtitur*, ita *corpus animi imperio regitur*: ergo *Vtrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget*, vt ait Sallustius. Cũ igitur ægrotat animus perturbationibus agitatus, corpus etiam ægrotet necesse est, ab animo non benè rectum. Hoc autem multipliciter potest accidere, cum vel ira vel odio, lætitia, amore, inuidia, mærore, cupiditate, alijsque agitatus animus, ita corpus percellit, vt non solùm morbos accersat, sed mortem etiam quandoque inducat. Ira ægrotasse multos, neminem tamen obijsse produnt: *Est*, vt ait Cicero, *libido puniendi eos, qui videntur læsisse*. Nascitur ex sanguinis efferuescentia circa cor: vnde fit, vt irati audaciſsimi sint: *Nullus iratus timet*, ait Aristoteles 2. Rhetor. nempe quia cor obuallatur copia sanguinis feruidioris, vel quia non est voti compos, qui iratus est: ira enim dicitur, quod ire faciat extra se; & qui deponit iram, ad se redeat. Vnde *Commodus Imperator ira percitus balneatorem in ardentem fornacem coniecit, quòd balneum intraturus tepidiusculum inuenerit*, cuius tamen valde penituit, ira depositа, hoc est, ad se reuersum. Odium ex ira nascitur

est

est enim, vt ait Augustinus, *Vetus ira*: plurimũ potest ad morbos accersendos, animum vehementer perturbans. Multò magis id præstare possunt, lætitia, meror, amor, inuidia, aliaque. nam plurimos hisce affectibus perculsos expirasse, ne dum ægrotasse, notissimum est. agitatur enim sanguis, natiuus calor, & spiritus, & intra extraque compellitur immodicè & inordinatè: vnde fit, vt vel introrsum confertim irruat, vt in merore, tristitiaq; atque ira; vel extrorsum, vt in lætitia, amore ceteriſque: ac propterea vel tunc suffocetur, vel nunc dissipetur.

Hæ sunt omnes morborũ causæ: morbi omnes, ab altera ex his, vel a pleriſque oriantur, necesse est. Omnes sunt vel internæ vel externæ (paucis repeto, quæ pluribus dicta sunt) internæ aut antecedentes aut coniunctæ. Externæ siue procatarticæ omnes vnicis conditionis & indiuiſę. Sunt autem internæ duæ Plethora & Cacochymia: Externæ sex omnes res non naturales a medicis vulgò dictæ, Aër, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, animi passiones.

De Causis Morborum Intemperiei Memb. 8.

CEterùm hæ vniuersales sunt morborum causę, & omnibus morbis com-

Digitized by Google

munes. Particulares verò, quæ singulis morborum generibus propriæ sunt, mox enarrandæ, & e Galeno petendæ ex lib. de Cauſ. Mor. Principiò diximus morbos omnes vel ſimilarium partium eſſe, qui dicuntur in Intemperie; vel organicarum, qui dicuntur in Compoſitione; vel amborum, qui in Soluta vnitate appellãtur. ergo ſingulorum cauſas ſingillatim indagare oportet. Et ſimilarium quidem morborum cauſæ ſunt quatuor intemperies (nam ſimilares non niſi intemperiei ſunt obnoxiæ) calor, frigus, humor, ſiccitas. Quod facit ad calorem, *Vniuerſa corpora*, ait Gal. loco laudato, *plus æquo caleſcere ſolent vel ex motu improbo, vel ex putredine, vel ex conſortio alicuius corporis feruidioris, vel ex adſtrictione, vel ex alimento ad accendendam caliditatem accomodato*. Quinque igitur ſunt calidæ intemperiei cauſæ, Motus nimius, ſpiritus accendens, ſanguinem, & ſolidas partes: Putredo, quæ a calore, & in calore fit: Vicinia, vt tumoris vicinæ partis: Adſtrictio meatuum, prohibẽs calidorum humorum effluuium ac fuliginum euaporationem: Calida alimenta, vt aromata, omnia ſalita, ceteraque huiuſmodi.

Frigiditatis verò plurima exiſtunt cauſæ, velutt frigidorum propinquitas, alimentorum qualitas & quantitas, adſtrictio etiam & laxatio, otium denique & motus immoderatus, quibus ex occaſionibus conſtat etiam ipſum

ignem

Digitized by Google

ignem extingui. Vicinia, alimentaque certissimæ sunt intemperiei causæ. De adstrictione verò illud, apud Gal. animaduersione dignissimum est, quod subdit loco citato, *Adstrictione autem*, inquit, *tunc præcipuè torquetur corpus, dum vena ipsa & arteria adeo turgent, vt intumescant sanguine, & nullus relinquatur locus inanis, in quem dum dilatantur, ambientem aërem possint excipere. Quæ quidem dum defraudantur, natiuus calor subitò ferè extinguitur. Proinde qui sic affecti statim destituuntur sensu simul & motu, id quod Hippocrates significare videtur dicens, Venarum, hoc est, arteriarum interceptiones statim vocem eripere*. hæc Galenus, quibus licet addere, quæ ab Hippocrate scripta sunt 2. de Mor. 6. vbi apoplexiã fieri docet apertissimè ex sanguine nõ absimili modo vitiato. Ceterùm sicuti hæc maxima animaduersione digna sunt, ita ad præsens institutum minùs faciunt. De ocio verò, quod est quarta frigidi morbi causa, satis constat, id humores frigidos coaceruare, & prohibere ne collecti dissipentur. Immoderatus verò motus ideo morbos frigidos inuehit, quia calorem ac spiritus euaporare cogit.

Sed iam de siccis affectibus oportunum est, vt dicamus. Si quis multò magis diffletur, quàm pro modo alimenti assumpti, vtaturque cibis siccioribus, facile in siccam ægritudinem labitur, præsertim si curis & anxietatibus atq;

vigilijs torqueatur. huius aër, balneum exiccans, medicamenta intus, foriſque adhibita, exiccandi facultate prædita, corpora exiccant.

Humidorum morborum omnes ſunt cauſæ contrariæ, nempe maxima humectantium ciborum colluuies, animi ſumma tranquillitas, immoderatus dulcium balneorum vſus maximè poſt cibum; vita deſidioſa, pluuiarũ copia, humida corporis conſtitutio, ac breuiter, humectantia medicamenta. Galenus ibid.

Iam verò cauſæ compoſitorum morborum ſimiliter compoſitæ ſunt. (nam dictum eſt ſexcenties ſimilares partes obnoxias eſſe intemperiebus tum ſimplicibus, tum compoſitis, tum cũ materia, tum ſine materia.) *ſi enim calida ſimul & ſicca in vnũ aliquando conſpirent, calidus ſimul & ſiccus ſequitur morbus: idem eſt cogitandum de alijs combinationibus:* hæc Galenus, quibus ſubiungit, ſi hiſce vel ſimplicibus, vel cõpoſitis intemperiebus accedat materia, naſcitur morbus cum materia dictus.

De Cauſis Morborum in Structura Memb. 9.

A ſignatis iam cauſis morborum ſimilarium partium, ad organicos deinceps nos con-

Digitized by Google

conuertamus, exordium a formatione vitiata sumentes. Euariant autem naturalis figuræ dum ob maximam materiæ siue seminis copiã, aut ob qualitatem incommodam, fœtus formatio vitiatur. secundo dum nõ rectè ab obstetricibus excipiuntur, aut ruditer inuoluuntur fascijs, aut lac tabefactum sugunt, aut perperam educantur &c. crura quippe incuruantur vel in interiorem, vel in exteriorem partem, vel magis recta fiunt, quam natura ordo postulet: & sic de ceteris partibus similiter censendum.

Numeri autem deprauati causæ sunt multæ: *si quidem si numerus sit diminutus sectio, aut putrefactio, aut immodica refrigeratio: sin autem aliquid supercreuerit, abundantia materiæ est in causa.*

Magnitudo partium augetur a copia materiæ benignæ, ac potentia robore. Imminuitur a causis contrarijs; vel sectione, vstione, putrefactione, refrigeratione.

Quartum demum morborum instrumentalium genus, quod in Praua compositione consistit, vel ob repentinam agitationem contingit, vel ob articulorum humiditatem immoditam, ex his alijsque plurimis occasionibus organorum compositio peruertitur.

De Causis Morborum Solutæ Vnitatis Memb. 10.

NVnc verò solutionis vnitatis causas examinemus. Ad quinque Galenus videtur reuocare, ad ea quæ soluunt secando, siue punctim, siue cæsim id præstent, vt gladius, ceteraque similia: ad ea quæ soluunt erodendo, vt erodētia omnia, siue humores sint, siue medicamenta, siue venena: ad ea quæ contundendo, vt lapides, ceteraque sexcenta: ad ea quæ tendendo rumpendoue, vt conatus magnus, aut onus graue &c.: demum ad ea quæ adurunt, vt res omnes ignitæ, & alia quæ a Sennerto præclarè enumerantur.

Iam verò aliæ sunt morborum causę minùs principales, quæ his spectare videntur, vt causa *Conseruatrix*, *Sine qua non*, *Adiutrix*, *Præseruatrix*, causa *Per se*, *per accidens*, *Manifesta*, *Abdita*, &, si quę sunt, aliæ, quas tyro vel ex philosophia didicit, vel per se cognoscet. Hæc de Causis, nunc

De

De Signis Morborum Cap. 4.

SIgnorum doctrina, σημειωτικὴ Græcis dicta, adeò necessaria est medico, medicinam facienti, aut potius facturo, vt Hippocrates dixerit lib. de Arte, *Medicus si sufficit ad cognoscendum, sufficit etiam ad curandum*. Itaque summo studio niti decet, vt signorum scientiam, qua cognoscuntur morbi, consequamur. *Signum* autem, vt hinc exordiar, *est quod per se notum existens aliud ignotum patefacit*.

Multiplex eius diuisio: prima & communissima est in signa Salubria, Insalubria & Neutra: hoc est, quę corporis salubritatem, insalubritatem & neutrum quendam statum ostendunt: Quæ insalubritatem, morbum ve designant (nam de his agendum, cum de signis agamus, vt morbos exploremus) adhuc triplicia sunt Diagnostica, Prognostica & Anamnistica, siue commemoratiua: Diagnostica sunt, quæ præsentem morbum ostendunt; Prognostica, quibus futurum pręcognoscimus; Anamnistica, quibus præterita in memoriam reuocamus. Diagnostica verò adhuc duplicia, Pathognonomica & Assidentia: illa sũt quę propria & inseperabilia morbo

sunt: incipiunt, augescunt, ac decedunt, incipiente, augescente ac decedente morbo, vt sunt symptomata pleuritidis propria, quæ ideam morbi attestantur, vt tussis, difficultas anhelitus, dolor pungitiuus, pulsus serrinus. Assidentia verò & aduenium morbo iam facto, & ab eo separari possunt, ac proinde aut morbi tempus, aut magnitudinem, aut morem, aut euentum attestantur: vt in allata pleuritide dolor ad clauiculam vergens, sputumq; cruentum, quæ & aduenium pleuritidi iam natæ, & non aduenire possunt. Hæc verò Assidentia sunt vel Epigenomena, vel Epiphenomena (vtrumq; nomen propriè sumptum volo, non communiter.) Illa sunt vt malignitatem morbi attestantia, pulsus inæquales secundum varias eius differentias, intermittens, paruus, debilis, obscurus. Hæc verò sunt quæ a Gal. 1. de Crisi. dicuntur signa coctionis & cruditatis, salutis, aut mortis, & critica, quæ ad Prognostica maximè pertinent.

Iam verò quod facit ad Diagnostica, vniuersaliter accepta (nam de his maximè hìc agendum nobis est) hæc vel morbos indicant, hoc est, vel morbi ideam patefaciunt, vel morbi partem affectam, vel morbi causam. Diagnostica morbũ ipsum indicantia triplicia statuo iuxta triplicem morborum genus vniuersale. Cum enim morbus vel in intemperie consistat, simila-

lareſque partes afficiat, vel in compoſitione, & inſtrumentales male habeat; vel in ſoluta vnitate, & vtraſque ſimul torqueat; proinde triplicia etiam diagnoſtica eſſe volo, quæ nempe ſimilarium partiũ morbos indicet, quæ organicarum, & demum quæ vtriſque communes morbos. At verò morbo per hæc diagnoſtica ſigna explorato, pars affecta cognoſcenda: ac demum cauſa morbi eiſdẽ diagnoſticis exploranda. Diagnoſticorum ſignorum doctrinam quinque membris comprehendemus, vel potius ſex: nam ſigna addemus, quæ alias minùs principales morborum differentias declarant. Sit ergo

De Signis Morborum Similarium partium, hoc eſt in Intemperie Memb. 1.

EX multiplicibus intemperiebus principiũ ſumemus ab ea, quæ ſine materia eſt, ſiue ſimplex ea ſit, ſiue compoſita. Calida igitur intemperies innoteſcit ex prægreſſis calefaciẽtibus, vt eſt, inſolatio, calidorũ æſus, exercitatio magna, & cum magna contentione facta, vſus vini meracioris aliorumque, quæ calefacere vnuſquiſ-

quisque nouit: calor præterea vel tactus sensu cognoscitur, si externas partes afficiat, vel si internas innotescit ex æstu alicuius partis, visceris, totiusue corporis; ex siti, ariditate linguę, faucium &c., colore rubro particularis loci, vbi maximè intemperies vrget, vt faciei &c. coniectatur etiã ex ætate, temperamento, anni tempore, regione, constitutione, alijsque huiusmodi, quę calefacere potuerint. Quod si composita sit, cum siccitate quidem acrior erit calor, acutior, cum siccitas sit caloris lima, acuatque eam qualitatem; præcesserunt siccantia &c. Si verò cũ humiditate blandior est calor, cum quodam madore coniunctus, res humectantes vna cum calefacientibus præcesserunt.

Frigidum verò intemperamentum ex eodem tactu primò exploratur, ex victu refrigerante prius adhibito, ex anni tempore, regione, atque constitutione frigida: Quod si addatur siccitas, & quæ exiccant præcesserunt, & omnia quæ siccitatem attestantur, accedunt, vt in parte durities quædam ac siccitas, asperitas. Contraria verò adsunt si humiditas adiuncta sit, contrariaque præcesserunt. Ceterùm cum rarò accidat, vt simplex aliqua & sine materia in parte duret intemperies, ideò, quæ materiam ostendunt, proponamus signa: ergo

Bilem ostendunt corporis habitus biliosus,

sus, gracilis, anni tempus æstiuum, constitutio calida siccaque, vigiliæ, ira, pulsus velox, celer, vehemens; sitis, vrina flaua, excrementa sicca, ægri iuuantur ab humidis & frigidis, lęduntur a calidis & siccis: bile euacuata meliùs se habent; deteriùs euacuata pituita, aut sanguine, & ea omnia pręcesserunt, quæ calidam intemperiem genuisse diximus. Diuersas verò bilis species, diuersi sapores, colores, & antecedentes causę, occasionesque prægressę ostendunt.

Pituita verò innotescit tum ex præcessis causis pituitam gignentibus, tum ex corporis habitu pituitoso, hoc est, pinguiori, molliori, segne ac hebete, somno, ignauia, pulsu molli, tardo, raro, nulla siti, vrina subalbida & aquosa, aluo liquidiori: ægri iuuantur a siccis & calidis, lędiuntur ab humidis & frigidis; euacuata pituita meliùs agunt ægroti, deteriùs euacuata bile vel sanguine. Diuersitatem autem pituitæ, acidæ, dulcis, salsę &c. sapor præcipuè ostendit.

Melancholiæ abundãtis signa ex habitu primò desumuntur, habitu quidem ficco frigidoque, subnigro, aspero, mesto, somno non profundo, sed leui ac turbulento, cum tetris mestisque insomnijs; appetitu maiori, vrina copiosiori, aluo adstrictiori, flatuum crepitu ac rugitu; siccantia & refrigerantia præcesserunt.

San-

Sanguinem demum abundare cognoscimus ex corporis habitu sanguineo, hoc est, calido humidoq; , carnoso, rubicundo somno placido, profundo, pulsu magno, tensoque, venis sanguine turgentibus, grauitate corporis & quædam ad motum impotentia. & hæc sunt signa plethoræ quoad vasa: quo ad vires autem signa sunt pulsus imbecillis, inæqualis, varius, corporis ad motum impotentia, & debilitas absque causa manifesta, nulla euacuatione præeunte &c.

De Signis Morborum Organicorum, Qui in Structura Consistunt Memb. 2.

MOrbos in Structura vitiata sitos quadruplices esse ostendimus membr. 2. cap. 2. sect. 1. huius lib. cum de Morborum differ. ageremus. hic verò eorum signa distinctè proponemus. Et *Forma* quidem vitiata sensu innotescit, si externa pars figuram habeat vitiatam: si verò interna, multa animaduersione opus habet: nam causas omnes præcedentes explorare necesse est, actiones animaduertere oportet eius partis, quam læsam suspicamur:

nec

nec negligere cutis mutationem quę regit, vel e regione eſt interioris partis malè figuratæ. ex his enim intelligere facilè poſſumus, an interior ac latens pars læſam habeat figuram.

Numeri verò (in quo ſita eſt altera organicorum morborum ſpecies) vitiati ſigna externorum quidem membrorũ oculus eſt teſtis, vt ſexti digiti, vel alterius deficientis. Internorum verò haud facilè innoteſcunt ſigna. Si enim deficiat alter ren, vel vnus abundet (vtrumque enim accidiſſe teſtantur anatomici) difficillimè depræhenditur: poteſt tamen deficiens ex eò coniectari, quod eius regio humilior ſit, quod vrina non profluat adeò copiosè ac promptè, vt profluere ſolet in ijs, qui ambos habent renes: & paulò certiùs explorari poteſt ex eo, quod ſanguis vena ſecta miſſus copioſiori ſero abundet, quàm & habitus corporis, & temperamentum, vitaque ante acta poſtulet: nempe quia non promptè a renibus totũ expurgatur. Adhuc certiùs ſi calculo præſſus alter ren vrinam intercipiat, nullo nimirum dolore in oppoſitam renis partẽ vergente, grauitate nulla, nulloque vnquam moleſto ſenſu. Ceterùm vt aucti, vel diminuti numeri internarum partiũ difficillimè innoteſcunt, ita difficillimè curantur, imò incurabiles plerumque ac ferè ſemper exiſtunt. Itaque externarum partium numeri vitiati ſenſu ani-

animaduertendi sunt, manuque curandi medicamentis, ferro, igne. In vniuersum verò quiuis numerus deficiens vel abundans actione læsa explorandus est.

In Magnitudine siti morbi, externarum quidem partium nimis noti sunt: internarum verò actio eorũ læsa significationem aliquam præbet. siue enim aucta sit magnitudo organi, siue diminuta, actiones eius membri læsæ sint, necesse est. ergo actiones perpendere oportet. dolor etiam (præsertim si aucta sit naturalis magnitudo) quandoq; id indicat, grauitas ac pondus incumbens vicinæ parti; extrinsecus etiam aliquis apparet vel tumor, vel calor, vel color, vel quid simile.

Situs demum vitiatus externus quidem oculis ac tactu, internus verò eadem læsa actione explorandus. plurimum verò conducit causarum præcedentium animaduersio, dolor, color, calor, tumor ceteraque huiusmodi, quæ partem afficere solét.

De Signis Morborum in Solutione Continui Memb. 3.

TRes primæ solutæ vnitatis species Vulnus, Contusio & Fractura sensu innotescunt. Vlcus verò nisi externum sit in-

ingeniosè explorandum: suspitionem aliquam præseferunt dolor partis vlceratæ, sanguis inde profluens, sanies, pus: causæ prætereà antecedentes & prægressæ, & occasiones omnes, quæ morbum procrearunt. hæc de signis essentialium morborum differentiarum: nunc de accidentalium signis agendum.

De Signis Aliarum Morborum Differentiarum, quæ Accidentales dicuntur Memb. 4.

SExdecim esse diximus memb. 4. cap. 2. sect. 1. lib. 2. differentias morborum accidentales, quarum singulæ singillatim signis explorandæ. Et

1. Prima quidem species, quæ complectitur Vniuersales & Particulares morbos, facillimè innotescit, cum vniuersalis morbus vniuersum corpus afficiat, particularis partē solùm, vt febris, vt pleuritis.

2. Altera species, quæ comprehendit Simplices, & Compositos morbos, & ipsa perspicuè patet: simplex est quæ non alium sibi adsciuit morbum: composita quę ex duobus pluribusue constat morbis, vt pleuritis, angina ceteræque huiusmodi in-

inflammationes, quæ febrim sibi adiungunt, compositæque sunt ex duobus morbis. Verum tamen est, quandoq; accidere, vt complicati sint ita morbi, vt non facilè innotescat eorum combinatio: id verò accurata medici coniectura assequendũ, neque potest vniuersalis tradi methodus, cũ non certa sit aut constituta eorum complicatio. Illud in cõmuni dici potest, complicatum esse alium morbum, coniectari posse ex accidẽtibus primario morbo non consentaneis: v. g. si febri difficultas respirandi, tussis, ac stertor accedat, asthma complicatum esse deprehendimus.

3. Qui verò fiunt per idiopathiam, aut per sympathiam innotescunt diligenti animaduersione. nam illi non aliunde morbi causa accersunt, sed ibi, vbi insunt, eam nanciscuntur: vt œdema in genu ex materia pituitosa ibi paulatim subcrescente natum: subcrescente, inquam, ex alimento a natura parti demandato nutritionis causa, in excrementitiam tamen materiam partis intemperamento conuersa. Per sympathiam verò natus morbus materiã habet aliunde sibi trasmissam, vt idem œdema, a capite fluxa materia ortũ. Fluxam verò aliunde esse materiã, inde cognoscimus, quòd non sensim & sine sensu, sed cito adiecta sit materia ac pars intumuerit; quòd modò augeatur dolor, calor, tumor, & morbus ipse, modò paululum remittat;

quòd

quòd partis, vt vocant, mandantis malæ affectæ signa præsto sint; quòd nullum insigne intemperamentum alia ve læsio deprehendatur in parte affecta, cuius causa materia coaceruauerit.

4. Benigni malignique morbi patent ex symptomatibus, signisque superuenientibus. si enim symptomata signaq; sint morbo consentanea, vt rigor, vomitus, sitis, oris amaror febri tertianæ, morbus benignus censetur: si verò sint inconsueta & minùs morbo congruentia, vt pulsus paruus, inæqualis, intermittens, vrina turbata, confusa ve, iactatio, papularum efflorescentia continuæ tertianæ, morbus erit malignus. Vno verbo, signa ac symptomata morbo consentanea benignitatem pollicentur; inconsueta verò, & a natura morbi aliena malignitatem portendunt.

5. Magnum esse aut paruum morbum, inde coniectamus, quòd ex ijs sit, quorum essentia magna, parua ve sit: exemplo res innotescat; febris ardens suapte natura magna est, quia acuta; tertiana simplex parua, quia non acuta; hoc est, quia illa celeri agitur motu, hæc segniori ac tardo. Innotescit etiam ex symptomatibus, quæ si magna vehementiaque sint, magnum etiam esse morbum significatur: si parua ac lenia paruum nulliusq; momenti. Coniectamus etiam ex parte affecta (nam magnus est morbus, vt suo loco diximus, & pro-

propter suam essentiam, & partem nobilem, & cacoëthiam.) nam si cerebrum, cor, simileque organum affectum sit, magnum esse morbum iurè credimus; sin minùs econtrario. Ex cacoëthia id ipsum conijcimus. nam hoc ipso quod cacoëthe malum est, magnus censetur: cacoëthe verò esse malum ex superiùs dictis innotescit.

6. Num verò contagiosi sint, aut non, ab effectu & a posteriori certiùs exploramus: vnde videmus pestem contactu, lippitudinem vicinia communicari. A priori autem conijcere possumus ex humorum putredine, corruptione, alia ve qualitate, quæ facilè communicetur, facilè euaporet, facilè euaporata adhæreat; vt in dysenteria excreta materia, in lappitudine, peste, ceteris eiusmodi morbis. Sed quia morbi contagiosi non multi sunt, facilè quisque potest eos deprehendere; nam præter Pestem, Morbum venereum scabiem, dysenteriam, lippitudinem, qui frequentiores sunt, paucos reperies. Ergo ex idea morbi innotescit etiam contagio.

7. Salutares verò futuros esse aut lethales, ex morborū magnitudine, & paruitate; celeritate, ac segnitie; vehementibus & benignis remissisque accidentibus, ceterisque adiunctis cognoscimus. In omnibus autem morbis illud semper spectandum est, num facilis vel difficilis tollerātia

præ-

præsto sit; num vires validæ vel infirmę; num ætas, num anni tempus, regio similiaque adsint, quæ morbo aut aduersari, aut fauere possunt.

8. Aduenticios aut hęreditarios parentum cognitio declarat. nam si ægri parentes eo laborarint morbo, de hæreditate suspicandum est: sin minùs nulla hæreditariæ conditionis suspicio iniecta est.

9. Sporadici ac Pandemij certissimò cognoscuntur, si, qui sint, cognoscantur: illi ergo si plurium specierum simul inualescant, vt pleuritides, anginæ, peripneumoniæ vna vagentur, sporadicos grassari morbos certum est. Si verò alter ex his, vel quiuis alter morbus plurimos corripuerint, vulgari, ac populariter grassari, contingat, Pandemium esse certissimum est.

10. An Endemij, vel potius Epidemij sint, ex causa & regionibus innotescunt. Etenim si pandemij communesque morbi causam habeant in ea regione natã, eiusue regionis propriam ac peculiarem, adeò vt alijs regionibus non sit communis, Endemij dicuntur: si verò pandemij quidem sint, totamque regionem infestent, sed tamen causam habeant non propriam vnius regionis, sed cum ceteris communicabilem, ac proinde morbus sese effundat in alias etiam regiones, Epidemiũ esse morbum intelligemus. Hæc, qui gręcè docti sunt, facilè intelligunt. Sed ea est nonnullorum

lorum peruicacia, vt non solùm hæc omnia contemnant, sed etiã sibi persuadeant, statim se *Ex Aratoribus fieri posse Oratores*, vt dixit Cicero; & ad summum artis medicæ fastigium se semestre ascẽsuros, quasi a methodicis persuasi.

11. Antiquos, nouosque morbos historia, ac relatione intelligimus.

12. Ordinatos verò inordinatosque, ex seruato neglectoque ordine, certo & incerto cognoscimus.

13. Intermittentes etiam, continuosq; ex intermissione, & continuitate exploramus.

14. Breues ne, an longi sint: siue potius num acuti, an longi croniciq; futuri sint morbi, ex motu cognoscuntur. acuti enim celeriter omnia tempora percurrunt, principium, augumentum, statum, declinationem. longi longè tardiùs. & quò quisque celeriùs agitur moueturque, eò acutior est.

15. Vnde fit, vt qui quarta die omnia percurrant tempora, acutissimi censeantur: qui verò septima die Peracuti: qui demum decimaquarta simpliciter acuti nominentur. Acuti verò ex decidẽtia itidem ex tempore definiũtur. nam qui decimam quartam diem prætergressi ad vigesimam pertingunt, quique etiam ad quadragesimam ex decidentia acuti dicuntur. Et quamuis facti iam, non fientes acuti innotescant

teſcant ex breuiori longiori ve tempore, (nam quia quarta die terminatus ſit morbus intelligimus acutiſſimũ fuiſſe: ex breuiſſimo tempore factum iam morbũ acutiſſimum iudicamus) tamen ſientes etiam cognoſcimus tum ex eodẽ tempore, tum ex ſymptomatibus, atque humore morbifico. nam ſi ſtatim principium prætergreſſus augeſcat, morbum futurum eſſe acutiſſimum intelligimus. item ſi grauia ſtatim adſint ſymptomata, ſi bilis vberioris notæ præſto ſint: ex his enim tribus facilè conijcere poſſumus de morbi acutie ac celeritate: quam certiùs explorabimus, ſi ætatem, temperamentum, anni tempus, regionem, conſtitutionem ceteraque huiuſmodi ſpectemus.

16. Num autem hi omnes, quotquot recẽſuimus, morbi legitimi ſint, an potius ſpurij, ex conditionibus innoteſcunt, quibus legitimi conſtituuntur. ſi ergo omnes adſint, morbum eſſe legitimum neceſſe eſt: ſin minùs, ſpurium: ſi v. g. ſit dolor pungitiuus, difficultas reſpirandi, febris acuta, pulſus ſerrinus, ac tuſſis, pleuritidem adeſſe conſtat, hoc eſt, inflammationem in thorace: num verò hæc ſit legitima vel ſpuria, cognoſcitur ex loco doloris, & materia collecta inflammataque. nam in pleura collecta materia ſi ſit ſanguinea, aut ſubbilioſa, legitima cenſenda eſt pleuritis: ſi verò materia ſit pituitoſa, vel in-

musculis intercostalibus inflammata, spuria procul dubio erit

De Signis Partis Affectæ Memb. 5.

IAm verò quia *Morbos secundum locos curare oportet*, vt dixit Hippocrates, ideò loci seu partes affectæ sunt explorandæ: eoque magis, quòd *Morborum omnium*, vt idem ait, *idem modus est, loci verò diuersitatem faciunt*. Loci igitur affecti ex plurimis innotescunt, ex causis afficientibus, ex partis affectæ essentia, & ex ijs, quæ consequuntur ex affecta parte. Ex causis quidem multipliciter: nam si v. g. aër agri romani sit causa morbi, cor maximè, & caput læsa esse significatur, venas arteriasq; noxio, imò venenato spiritu turgere: Si vinũ morbi causa fuerit, iecur læsum esse, vel caput verisimile est: Si legumina, caseus, pisces valde crassi, mesaraicas venas, lien, hepar obstructa, suspicio iniecta iurè erit. Et nõ solùm ex causis extrinsecis pars affecta deprehenditur, sed etiam ex ijs, quæ, vt notat Senner. retinentur: nam retencta vrina emulgentes, renes, vreteres, vesicam; sanguine mẽstruo vterũ, fæcibus aluũ & intestina affecta esse cognoscitur. **Ex affectæ partis essentia, vt inflammato**

crure,

crure, non eius ossa, sed musculum esse partem affectam significatur, siue carnem musculosam: nam ossa eiusmodi sunt naturæ, vt non facilè inflammentur, cum exanguia. Si lethargus adsit, cerebrum, non crus partem esse affectam designatur. Si luxatum sit brachium, non musculus, sed articulus pars erit affecta. Ceterùm frequentiùs ac ferè etiam exploratiùs innotescit pars affecta, ex ijs, quæ consequuntur, symptomatibus: nam ex sopore cerebrum esse affectum deprehendimus, ex difficili deglutitione fauces seu œsophagum; ex respiratione læsa, thoracem seu pulmones; ex siti hepar, &c.

De Signis Causarum Morbi Memb. 6.

QVantum interfit morborum causas nouisse, non dico Galenus & Hippocrates, sed ipse Cicero ostendit, qui vix leuiter tinctus medicina, *Medici*, inquit 3. Tus. *Causa morbi inuenta, curationem esse inuentam putant*: & iurè putamus, quia vt ait Hippocr. *Qui causas corporis affecti probè nouit, potens est afferre, quæ corpori maximè conducant*; & vt habet Galenus de Loc. Aff. *Multò minùs suscipere potest curationem, qui ignoret, sit ne affectus*

nephriticus a causa calida vel frigida; quàm qui ignoret, fit ne colicus vel nephriticus.

Et quidem accidit interdum, vt, cognito morbo, causâ simul innotescat: vt cognita tertiana simplici & exquisita statim innotescit eius causam esse bilem. Accidit & illud, vt, affecto loco patefacto, causa etiam patefiat, vt iecinore obstructo duroque crassos, lentosque humores esse causam hepatis male affecti innotescit. Sed plerunque accidit, vt morbo, morbidaque parte exploratis, causæ adhuc lateant: ac proinde aliunde explorandæ sint. Externæ innotescunt relatæ: internæ multa animaduersione. Aliqua sunt solùm signa, aliqua signa simul & causæ, illa sunt corporis habitus obæsus, macer, hirsutus; color albus, niger, ruber; durities cutis asperitas, lænitas, mollities, & huiusmodi alia, quæ corporis temperamentum vel naturale, vel aduena ostendunt. Præterea actiones omnes ac functiones nostri corporis, somnus, vigilia, respiratio, pulsus, vrina etiam, fæces, sudores. Demum symptomata superuenientia, ac præcipuè iuuantia & lædentia. Quæ verò causæ simul & signa sunt, ea censentur, quæ ad temperamentum spectant, ætatem, sexum, consuetudinem; item sex omnes res non naturales, cibum & potum, aërem ambientem, somnum & vigiliam, excreta & retenta, animi passiones: ad hęc regionem,

anni

anni tempus, conſtitutionem. Ex his enim omnibus ſuperuacaneorum humorum ſpecies facilè innoteſcit, ac proinde morbi cauſa. Qui verò plura deſiderat, legat, quæ ſuperiùs a nobis ſcripta ſunt de Plethora, cacochymia, ceteriſque morborum cauſis.

De Signis Prognoſticis Memb. 7.

COgnito exploratoq; morbo, morbi cauſa, morbidaque parte, quid de ægro ſperandum, vel timendum ſit, præcognoſcendum. Hæc Simioticæ pars nobiliſſima eſt ac propè diuina: nam futura pænoſcere ac prædicere diuinitatem quandam videtur præſeferre. breuiter tamen vniuerſam eius doctrinam percurremus, tum quia epitomen hìc conſtruimus, tum quia vberrimè agemus ad Hiſtorias Hippocratis Epidemicas, quas nos explicandas prę manibus habemus, ad prognoſim maximè accomodatas. Illud interim ſcire conducit, prognoſticorum ſcientiam in tribus ſitam eſſe, in Euentu morbi, in Tempore, in Modo. præcognoſcere enim debet medicus morbi euentum, vt rectè prædicat, tempus, & modum. euentum quidem, num ſalutaris vel lethalis futurus

sit morbus; tempus verò quando ad salutem vel ad mortem pertingat: modum demum seu viam, per quam scilicet viam, aut modum eò, quò tendit, peruenturus sit, per sudorem ne, an potius per vrinam; per alui secessum, an per emorrhagiã &c. Quod facit ad euentum, duo præcipit Galenus perpendenda esse in euentu præcognoscendo, morbum, & virtutem. cum enim ægrotatio sit, vt ait ipse, veluti pugna quædam, spectandum est, num morbi vires validiores sint, an potius vires ęgroti. si enim alteræ alteras superent, penes superantes erit victoria. & ita vel morbus vincet, vel virtus ægroti.

Morbi autem vires æstimantur *primò* ex propria eius essentia, propriaque conditione: nam si morbus sit acutus, vehemẽs, malignus, eius vires erunt validę ac firmę; ac proinde æger periclitabitur. Econtra verò si morbus sit natura sua laenis, vt tertiana, quotidiana, vertigo, &c. *Secundò* æstimãtur morbi vires ex symptomatibus superuenientibus magnis vehementibusq; aut remissis ac paruis. *Tertio* a causis aut validis aut infirmis, vt a putrida materia malignaque, aut a benigna: ab aëre salubri vel inquinato, vt nostro rurali romano, cuius occasione si quis vel leuiter incipiat ægrotare periculũ tamen mortis imminet non mediocre, imò plerumq; certissimum & ineuitabile. *Quartò* æstimatur morbi

vis

vis ex eò, quòd aut facilè, aut difficilè medicamentis cedat: leues morbi facilè cedunt, magni ac vehemẽtes difficilè. *Quintò* ex facultatibus tum naturali, tum animali, tum maximè vitali. Etenim si æger malè se habeat ad oblata, si perperam concoquat, si aut maximè sitiat, aut in magna febri nihil sitiat, (dummodo a calore febrili liquata pituita e capite delapsa fauces &c. non irriget) morbum inualescere timendum est. Econtra si ea non adsint. *Mente constare in morbis, bonum*, inquit Hippocrates, malum verò aberrare: item dormire, vigilare, videre, audire, olfacere, gustare, vt decet, vel parum deficere in his, bonum, malum verò si econtrario, morbique vim vehementem esse significatur. De virtute autem vitali illud ratum sit, nihil exploratiùs morbi vim testari, quàm facultatem vitalem: nam hæc præcipuè cum morbo pugnat: quæ si valida firmaque perseueret, morbum esse virtute infirmiorem cognoscimus: si infirma, morbum inualescere: & propterea cõsequuntur lipothymiæ, palpitationes, anxietates, syncope, respiratio crebra, difficilis, anxiosa. De pulsu & vrina nihil hìc dico, in peculiarem & magis accomodatũ locum hæc reijciens. *Sextò* morbi vehementia æstimatur ex excrementis, sudore, vrina, fęcibus, vomitu, sputo. *Sudor frigidus ex ampliori deciditur morbo*, ait Hippocrates

Cum acuta quidem febri mortem, cum mitiori longitudinem significat, traditum est ab eodem. ergo vehementem morbi vim testatur. Item si morbo ineunte excludatur: *Sudor vna cum febri fiens, malum*, apud eundem. Demum si nō in die critica, nec vniuersalis: nam *Circa frontem & clauiculas malus*, eodem auctore. Fęces verò, (nam vrinam omitto) siue potius alui *deiectiones liuida, cruenta, fœtida, nigra omnes mala* cum sint, morbi vim maiorem esse ostendunt: item si virides, cruda materia, die non critico, cum virium iactura prodeant. Contra si ijs omnibus qualitatibus sint expertes, die critica, cum conferentia ac tolerantia, coctisq; humoribus prodeant. De vomitu idem censendum est; die critica fiat necesse est, coctis humoribus, talia qualia reijciantur, morbus leniatur, vires reficiantur: alioqui malus censendus est, & morbi vehementiæ soboles. *Sputum demum si citò appareat morbum breuiat* (de ijs morbis intellige, qui sputo iudicantur, vt thoracis & spiritalium partium morbi) si facilè educatur, leni tussi, humoresque referat peccātes. *Septimò* ex hęmorrhoidibus fluentibus, menstruis, hæmorrhagia: nam hæc omnia si fiant in ijs morbis, in quibus decet, bonum; sin minùs, malum, morbique vehementia esse facta, censendum est. item si coctione præeunte, die critico, cum conferentia ac tolerantia

bona

bona censentur; mala verò, si secus. *Octauò* morbi vis cognoscitur ex mutato corporis habitu. nam *magis in morbis contabescere malum*, habemus apud Hippocratem; *magis* quàm morbi conditio exigat. ergo & faciem collabi, & oculos languere, & nares acui, & aures frigescere, mala sunt morbumque vehementem ostendunt aut singula aut (multo magis) si omnia simul coeant. *Nonò* ex colore mutato: nam liuescere partes vt digitos, aures, nares, morbi vim esse vehementem significatur: nigrescere linguã valde rubescere fauces, exulcerarique idem testatur: Plurima verò qui de subiecta hac materia cupit, adeat Hippocratem in Progn., Prædict., Coacis, Aphor.

Aegri verò vires æstimantur tum ex his omnibus (nam si morbus langueat, ægrum viribus pollere necesse est) tum ex naturali partium constitutione, bono scilicet similarium temperamento, proba organicarum compositione, firmaq; omnium vnione. Proximè verò innotescit vis ægri valida ex validis facultatibus, naturali, animali, vitali: facultates verò ex operationibus. Ergo si æger vitales, naturales, animalesq; functiones edat robustas, signum apparet apertissimum, eũ pollere viribus, maximèq; valere: sin minus, contrà. Quò modo autem hæ facultates siue potius actiones innotescant, superiùs diximus.

Iam verò vt recta veraque prognosis fiat, necesse est, vt supra diximus, simul conferre vim morbi cum naturæ viribus. quod si ea validior sit, periculũ impendet manifestum de morbi victoria; si verò vires ægri validiores fuerint, de profligando morbo spes certissima iniecta est.

Hæc de morbi euentu dicta sint: nunc verò de Tempore agamus. Tempus eædẽ vires designant, tum morbi, tum ægri. Etenim vt robustæ ægri vires aut diutiùs morbo resistere, aut citò eum superare possunt; ita vis morbi magna & vires ægri deijcere, & ægrum conficere potest. Itaq; rectè dictũ est ab Hippocrate, *Acutissima febres & signis lethalissimis sientes, quarta die interimunt aut citius: securissimæ verò & signis salutaribus sientes, quarta die desinunt, aut prius.* si ergo vis morbi sit maxima, quarto die, aut tertio ex Hippocrate, vel etiam quinto ex Galeno præsagiendum est mortis tempus: si verò eiusdem vis minima sit & omnino infirma eodem die futuram esse salutarem crisim prædicẽdum. Quod si vis morbi non tam valida sit, septima die; si adhuc minus valida decimaquarta, & sic deinceps mors prædicenda. Vis aut morbi ex propria innotescit idea, ex symptomatibus, ex celeritate motus, ex coctione & cruditate, ac similibus. Etenim morbus natura acutissimus aut malignus, symptomata vehementia, celer-

lerrimus motus, crudaque materia, morbi vires esse maximas significant, & euētum futurum esse exitiosum portendunt. Ceterùm in designando morbi euentu salutari aut pernicioso, nihil æquè potest, atq; cruditatis & coctionis signa. nam quò citius apparent coctionis signa (de salutari euentu loquor) eò citius morbus decedet, quò tardiùs illa sese promet, eò morbus tardius euanescet. Quarè si primis statim diebus signa coctionis appareāt, morbum quarta die aut quinta terminari necesse est: si circa quartam diem vrina cocta prodeat, circa septimam futuram esse crisim sperandum est: si illa circa septimam aut nonam, aut vndecimā prodeat, morbum decimaquarta, aut decimaseptima decessurum sperandum est: sic vigesima die fortè iudicabitur morbus, si decimaseptima vrina sit cocta: & sic deinceps iuxta criticos & indicatorios dies, de quibus paulò inferiùs dicendum est: illud interim memoriæ figendum, *Coctionem iudicij celeritatem portendere, cruditatem verò longitudinem*, vt est apud Hippocratem.

Modus futuræ crisis, qui tertiam prognostici partem comprehendit, intelligi non potest, nisi prius intelligatur, quid Crisis criticique dies sint. ergo de Crisibus nonnulla hìc adijciamus.

De Crisibus Criticisq; Diebus Memb. 8.

CRisis nomen, ἀπὸ τῦ κρίνω, deductum, æquiuocum est & multa significat. primò quidem significat quamuis in morbo mutationem, *Iudiciari in morbis est*, inquit Hippocrates lib. de Affect. 8. *cum morbi augescunt, vel marcescunt, vel desinunt, vel in alium morbũ transmutantur*. secundò significat excretionem materię morbificę: *Quibus crisis futura est, nox grauis ante accessionem*. tertiò solutionem morbi. *Iudicatio est morbi solutio*. ex lib. Præceptionum 12. Demum significat *Repentinam in morbo mutationem ad salutem, aut mortem*. 1. de Diebus Decr. 1. & alibi sæpe apud Gal. Multiplicis autem Crisis significationis causa, varia est κρίνω significatio. nam κρίνω designat Secerno, excerno, iudico, dimico &c. Repentinæ huius mutationis causa proxima quidem & immediata est ægri natura, facultasq; præcipuè naturalis, quę noxium sibi humorem expellit; mediata verò est lunę motus, per quem corpori & humoribus vis quædam immittitur, qua crisis perficiatur; aut certè concitentur humores agitenturque & ad exeundum irritentur. Duplex est crisis, alia per Abscessum, alia

per

per Expulsionem illa *est qua materia ex vna in alteram partem extruditur*, vt a nobiliori ad ignobiliorem. hæc *est qua extra corpus exturbatur*. Vtraque aut perfecta, qua tota morbida materia secernitur; aut imperfecta, qua non tota, sed ex parte. Vtraque aut fida, qua tollitur ita morbus, vt nullum ampliùs impendeat periculum recidiuæ: aut infida, qua tale imminet periculum. Vtraque aut Tuta, quam nulla grauia comitantur symptomata, viresque non deijciuntur; aut periculosa, quã symptomata vehementia consequuntur, viriumque languor. Vtraque demum, aut ἔυσημος, ideſt præmostrata, indicataq; aut ἄσημος, ideſt non pręmostrata, siue aduenies sine signis prægressis. Sed hac in re ne pigeat audire Gal. 1. de Diebus Decretorijs, *Porro Imperfectam crisim vocamus, vbi ex morbo quippiam relinquitur: Infidam siue incertam, quam morbi sequitur recidiua: Periculosam, qua cum grauibus symptomatis fit: Obscuram, qua citra excretionem vel euidẽtem abscessum euenit: Sine signis euenire dicitur, qua a nullo priore die indicata est: Mala, qua in ægri perniciem desinet. Rursus Absolutam eam dico, Fidam, Tutã, Manifestam, Cum bonis signis, ac demum Bonam, qua illis contraria sunt.*

Ceterùm quia parũ refert, crisim, eiusq; causam, speciesque nouisse, nisi futuram præsagiamus; ideo signa a nobis proponenda. Ergo siue per abscessum, siue per ex-

excretionem fiat crisis, triplex signorum genus animaduertendum, Præcedens, Comitans, & Subsequens. Quæ præcedunt signa duorum sunt generum, alia tempus, diemque crisis indicant, alia speciem eiusdem. Tempus ac diem indicantia sunt Coctiones & cruditates excrementorũ: nam, vt superiùs dictum a nobis est, si quarta die coctionis signa appareant, septima futuram esse crisim verisimile est. indicat etiam motus morbi: nam si celeriter moueatur, celeriter iudicatur: si die impari moueatur, impari etiam terminatur, si verò pari, & pari iudicatur: *Quæ paribus mouentur, paribus iudiciantur*, inquit Hippocr. *quæ impari, iudicantur impari*. Indicat etiam nox molesta ante accessionem, præsertim iactatio, anxietas, dolor capitis, spiritus difficilis, hypochondriorum tentio, murmur, sitis, aliaque

Signa verò quæ speciem crisis indicant multiplicia sunt, iuxta multiplicem eius speciem. cum enim alia fit, quæ per alui excretionem euenit (loquor de crisi per excretionem facta) alia quæ per vrinam, alia quæ per sudorem, alia quæ per vomitum, alia quæ per hęmorrhoides, alia quæ per vterum, alia demum quæ per hæmorrhagiam narium: signa etiam alia atque alia erunt iuxta eius diuersitatem. Si per diarrhæam futura fit crisis, ventris rugitus aderit, tentio hypochondriorũ, murmur,

cre-

crepitus, dolor: nam eò fluente materia, neceſſe eſt, vt eæ partes laborent. Si per vrinam, grauitas in pube & infimo hypochondrio, ardor quidam circa pudendum, aliæ omnes euacuationes aut omnino aut ferè ſuppreſſæ. Si per ſudorem, vrina, inquit Hippocrates, ſupprimitur & rigor inuadit. Vrina ſupprimitur, ait Alpinus, quia eadem vtriuſque materia eſt. Rigor irrepit quia ſeri acrimonia panniculũ neruoſum (potius quàm carnoſum, vt recte cenſet Framb.) vellicat: item mador quidam partium, pulſuſque mollis, futurum portendunt ſudorem. Si per vomitum, nauſea præcedit, morſus oris ventriculi, anxietas, frequens expuitio, oris amaror, vertigo tenebricoſa, cetera non abſimilia. Si per hæmorrhoides, pruriũt illæ partes ab acri, acido, ſalſo, bilioſo, vſtoque ſanguine vellicatæ: conſuetudo præceſſit & intermiſſio. Si per vterum, dolor ibi, calor tentio a cõercito humore, ſpirandi difficultas ſiue anxietas, vaporibus ſurſum aſcendentibus ex agitatis commotiſque in vtero humoribus, lumborum grauitas, fluendique tempus iam inſtans. Si demum per nares, dolor capitis præcedit, arteriarum pulſus circa tẽpora, aures tinniunt, caligant oculi, nares pruriunt, tendũtur hypochondria; Hæc omnia futuram per excretionem criſim prænunciant: in omnibus autem ætas animaduertenda eſt, temperamentum, con-

consueta aliqua euacuatio, anni tempus, ac præcipuè idea morbi: nam in feb. ardenti per hęmorrhagiam potius expectabis crisim, quam vix expectabis, imò ne vix quidem, in lethargo, neque in sene, ac pituitoso &c.

Quæ verò per abscessum, ea sunt, quæ morbi longitudinem demonstrant, vt tardus motus, seraque coctio; nam qui tardè mouentur morbi, non per excretionem, sed plerumque per absceſſum iudicantur: sera verò coctio idem testatur, quia materiæ contumaciam, crassitiem, lentorem, cum ostendat, ineptitudinem etiam ad exeundum declarat: vnde fit, vt cũ nequeat a natura foras propelli, in aliquem ignobiliorem locum demandatur.

Hæc sunt signa Crisim præcedentia, ac futuram indicantia. Num verò hæc futura sit salutaris ac bona, perfecta, absolutaq; Concomitantibus signis explorandum. Itaque vt crisis sit absoluta, necesse est, vt humores euacuentur secundum quantitatem, qualitatem, modum, ac tempus accomodatum. alioqui enim mala est, & recidiua consequitur. Quantitas maximè spectanda, vt ne aliquid relinquatur materiæ morbificę: nam *Quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere consueuerũt*, ex aphor. Qualitas, vt cocti humores euacuentur: *Coctiones enim crisis securitatem portendunt*. ex 6. Epid. Tempus, vt die critico, & eo

quo

quo mouentur morbi: *Iudicantur enim morbi ijsdem numero diebus, quibus mouentur,* vt idem ait diuinus senex. Modus, vt paulatim: nam *Quod paulatim fit, tutò fit: omne nimium natura inimicum.* Per conuenientes regiones, quia vt medicamẽto *Qua ducere oportet, quò maximè natura vergit, eò ducere &c.* ita (imò multò maximè) id necessarium in naturę excretione, quæ norma est artificialis euacuationis. Demũ per rectitudinẽ: nam & *Contraria hæmorrhagia mala* ex Coacis. Hæc omnia si adsint perfectam crisim ostendunt. Idem censendum est de crisi per abscessum. Et quidem ex Hippoc. 6. Epid. 2. tria ad absolutam per abscessum crisim, *Quò, & Vnde, & Propter quid, considerandа sunt.* Quò, idest, ad quam partem fluat materia trudaturque a natura, considerandum est. nam locus, recipiens mandatam sibi materiam morbificã, debet esse situ infra morbum, magnitudine capax, conditione ignobilis. Vnde, hoc est, ex qua parte abscessus materia fluat, a dextera ne, an potius a sinistra: nam & in euacuatione, & in abscessu rectitudo obseruãda. Propter quid, nempe ob quam causam fiat abscessus, an a natura vincente, coctis nimirum humoribus; an ab irritante morbo, nempe humoribus crudis. Si ergo tres hasce conditiones habeat abscessus, salutaris erit & criticus; sin minùs symptomaticus.

Ce-

Ceterùm ex consequentibus crisim signis de bonitate ac malitia eiusdem coniectare possumus. Hæc autem, vt rectè Framber., sumuntur ex qualitate corporis, actionibus, & excrementis. Illa sita, est in colore & mole: nam si post crisim facies præsertim, benè colorata sit; & minùs collapsa absumptaque, crisim fuisse bonam censendum est: contra, si facies aut liuescat, nigrescat, pallescat, collapsaque sit. Actiones etiam omnes spectandæ sunt, animalis, vitalis, naturalis, num vegetæ firmęque, an fractæ ac debiles. igitur si interni omnes principesq; sensus vegeti fuerint, somnus quietus ac tranquillus, & vis animalis motiua paulò robustior euaserit; Si pulsus validior, æqualior, ac maior fuerit; item si respiratio magis libera; Demum si benè appetat, coquatque, bonam fuisse crisim deprehendimus. In excrementis autem colorem obseruamus ac substantiam, & in vrinis contencta. igitur si substantia mediocria sint excrementa, colore sano similia, & in vrinis contẽctum sit album, læue, & æquale, de perfecta crisi sperandum est.

Iam verò quia ad perfectam numerisq; omnibus absolutam crisim necesse est, vt certis quibusdam, & a natura determinatis diebus contingat; propterea de Diebus in quibus talis a natura operatio fieri solet, aliqua sunt addenda. Et quidẽ natura licet omni-

omnibus diebus tentare possit expellere infestam sibi materiam, tamen non omnibus id diebus salubriter tentare potest. Illi ergo, in qnibus salubriter agit, Critici dicuntur: ij verò in quibus non ita salubriter non critici, sed vel Indices, vel Intercalares. Critici sunt septenarij, septimus, decimusquartus, vigesimus (nam est vltimus tertiæ septimanæ) vigesimus septimus, trigesimus quartus, & quadragesimus. Indices verò sunt quartus, vndecimus, decimus septimus, vigesimus quartus &c., qui & quaternarij sunt in septimana, & Contemplabiles dicuntur, quia semper portendunt aliquid futurum in die critico. Intercalares sunt, in quibus natura irritata ab aliqua externa causa vel etiam interna, cogitur præpopere crisim patrare, vt tertius & quintus in prima septimana: in secunda, nonus & decimus tertius: in tertia decimus nonus: aliqui verò addunt decimum quintum & decimum octauum. In omnibus hisce diebus fieri possunt crises, sed perfectissimæ, ac tutæ in Criticis, in Indicibus verò & Intercalaribus non ita tutæ nec perfectæ, cum ab irritamento aliquo natura moueat hisce diebus. Reliqui verò dies Interiecti, seu vacui nominati inutiles sunt ac planè infidi ad crisim: Horum primus est sextus, qui omnium pessimus dicitur a Galeno, ac tyrannicus nominatur, quod instar tyranni nihil vnquam rectè faciat.

ciat. Sunt etiam octauus, decimus, decimus sextus, vigesimus tertius, vigesimus quintus, vigesimus nonus, trigesimus, trigesimus secundus, trigesimus tertius, trigesimus quintus, trigesimus octauus, trigesimus nonus. Hi omnes Medicinales dicuntur, quòd medicamenta cathartica exhibere in his liceat; quippe naturæ non dicatis.

Dierum verò criticorum causa obscura valde est & inter auctores controuersa. Ego tamen puto verisimile esse, causam efficientem esse cælum, quod per lunam vires in nos immittit, per quas natura eiusmodi motu regulaque eiusmodi moueat, quæ proxima est causa efficiens. Sed hac de re in Quæstionibus agemus

Hactenus Diagnostica & Prognostica signa singillatim, distinctè, ac breuiter: quia verò duo sunt, quę communia vtrisq; videntur, Pulsus & Vrina; ideo de ambobus breuiter agam, vt absolutam de vtrisq; signis doctrinam præbeam.

De Pulsibus
Memb. 9.

AD præsentem morbi statum, futurumque cognoscendum nihil æquè conducit, ac Pulsus, Vrinæque scientia. nam ex pulsu vitalis virtutis statum explora-

ramus, ex vrina naturalis, quæ duæ facultates ad vitam conseruandam maximè faciunt. vtrorumque igitur conditio diligentissimè exploranda.

Pulsus est cordis & arteriarum motus, ex dilatatione & constrictione constans, ad caloris natiui temperamentum conseruãdum, a vitali facultate editus. cum enim cor innato calore æstuet, opus habet continua & externi aëris frigidi attractione, & fuliginum expulsione, vt facilè temperetur. Vnde dilatatione cordis & arteriarum, quam græci diastolen vocant, aërem attrahit: constrictione verò, systole græcè dicta, fuligines fumidosque vapores expellit: vnde sequitur, vt cor omnino temperetur.

Species verò pulsus siue differentiæ plures sunt. cum enim pulsus sit motus, tot modis variari potest pulsus, quot modis ipse motus. Motus autem variatur respectu diuersorum: virtutis mouentis, instrumenti virtutis, spatij, temporis, & intermediæ quietis.

1. Respectu virtutis alius est vehemens, alius debilis, alius mediocris. nam valida virtus cordis pulsum edit vehementem, velidumq; debilis debilem, mediocris mediocrem. Vehemens igitur est, qui vehementer tangit manum: debilis, qui debiliter & exiguè, ac vix proinde sentitur a tangente manu: mediocris, qui mediocriter se habet.

2. Re-

2. Respectu Instrumenti, ideſt arteriarum alius eſt durus, alius mollis, alius mediocris. ille arteriæ duritiem cauſam agnoſcit; alter mollitiem eiuſdem, tertius mediocritatem. Eſt igitur mollis pulſus, cum arteria mollis tactu percipitur: durus, cum dura ac tenſa: mediocris, cũ medio modo.

3. Ratione ſpatij, magnus, paruus, mediocris. magnus attollitur maximè, paruus attollitur minimè, mediocris mediocriter. Vnuſquiſque fit a virtute aut valida, aut debili, aut mediocri: vel aucto, imminuto, & mediocri vſu. nam valida virtus poſcente vſu attollit dilatatque arteriam vndequaque, ſecundum latitudinem, longitudinem, & profunditatem; ac proinde ſpatium pertranſit magnum. Contra verò debili exiſtente virtute vſuque imminuto breuius ſpatium commenſuratur, pulſuſq; editur paruus. In mediocri mediocritas ſemper ſeruatur.

4. Reſpectu temporis, Celer, tardus, medioris. ille eſt, qui celeriter breuique tempore ſpatium pertranſit. alter, qui tardè, tertius qui medio modo. Celeris ſeu velocis cauſa eſt vſus auctus: cum enim cor eget frigore maiori, vt maioré æſtum temperet, celeritate motus magnitudinẽ, quam nequit patrare, compenſat. Contrarij pulſus contraria cauſa, mediocris cauſa mediocris eſt.

5. Ratione quietis pulſus naſcitur Creber,

ber, seu frequens, rarus, medioris. Frequens est, cuius quies breuis est. Rarus, qui multum quiescit, hoc est, qui inter vnam alteramq; pulsationem multum temporis interponit. Mediocris qui medio se habet modo. Causam agnoscit vsum auctum, propter auctũ calorem. ferè semper coniungitur cum virtute debili, paruisque pulsibus. Rarus verò causam habet vsum imminutum, frigidumque cordis temperamentum, ascititium, ac morbificum in ægris, naturale in sanis. Mediocre verò mediocrem causam. Hæ sunt omnes pulsuum differentiæ simplices, vnde facilè compositæ innotescunt. nam hæ ex illis pendent & componuntur.

Iam verò aliæ sunt pulsuum differentiæ ex mutua eorum comparatione ortæ: cum enim inter sese conferuntur pulsus, æquales reperiuntur, aut inæquales; ordinati, aut inordinati; proportionati aut improportionati.

Inæqualis pulsus vel in omnibus simplicibus differentijs est, vel in aliquibus. Ille est, qui inæqualitatem habet in vehementia, in duritie, magnitudine, celeritate ac frequentia. hic verò qui in altera ex illis aut in pluribus: vel in magnitudine, vel in frequentia, vel in quauis alia. Inæqualitatis autem causa est potissimum facultas a causa morbifica perculsa, vel ab eadem vitiatum instrumentum, obstructũ nempe com-

compressumque. Hæc autem inæqualitas multipliciter sese habere potest, iuxta quam multiplicitatem aliæ complures nascuntur inæqualium pulsuum differentiæ & vtiles & penè inutiles, hoc est ratione potius, quàm reuerà repertę, vt rectè monet magnus Montanus in suis Consultationibus. Vtiles & quotidie animaduersæ sunt inæquales in pluribus ictibus, qui scilicet secundum plures ictus seu secundum collectionem ictuum inęqualitatē habent. aliqui nimirum ictus sunt vel frequentiores, vel celeriores, vel maiores &c. aliqui verò econtra. Sunt etiam inæquales in vnica pulsatione, cum scilicet arteria in media ferè dilatatione quasi moratur, qui pulsus Interciſus dicitur, rarò quidem, sed tamen reperitur, nec fictus est, vt alij nonnulli. Huic affinis est Intermittens, is nimirum, qui in diastole diu moratur; siue potius, qui, dum dilatatur, in medio itinere seu spatio ferè interrumpitur, & in externa quiete moratur: idque vitio materiæ morbificę & debilitate virtutis vitalis. Ceteræ verò inæqualitates pulsuum ferè inutiles sunt, vt Caprizans, vndosus, vermiculans, formicans, tremulus, & si qui sunt alij methafificè, vt ita loquar, excogitati.

Ordinatus verò inordinatus ve pulsus est, qui ex mutua simpliciũm pulsuum differentiarum collatione secundo loco nascitur. ex genere inæqualium est, qui nimi-

mirum inter inæqualitatem ordiné quendam ſeruat, vt ſi inæqualis ſit ternis quibuſque ictibus: duos ictus habeat celeres, tertium tardum: vel duos tres ve aut quatuor magnos, vnum paruum, & hoc ordine ſeruato progrediatur vlteriùs.

Ex proportione verò ſeu rithmo plurimæ, ſed tamen parum vtiles, naſcuntur differentiæ, quas vide apud Galenum, ſi curioſus nimis fueris, vel apud Capiuaccium, Galeno neſcio an dicam diligentiorem, an potius moroſiorem in pulſuum differentijs inueniédis. In vniuerſum illud moneo tyrones, audiendum hac in re eſſe Montanum, qui quinque ſimplices differentias & eam, quæ in inæqualitate conſiſtit, animaduertendas eſſe præcipit: ceteras ferè inutiles & a ſe diligentiſſimo medico quadraginta annis vix obſeruatas.

De Vrinis
Mem. 10.

VRinarum doctrina maximè neceſſaria eſt, tum quia certior eſt, quàm Pulſuum, (nam *Vrina ſola auguria valetudinis habet*, ait Celſus, & *Fidimus pulſui quem mille res variant* idem ait) tum quia Hippocrates vrinarum ſæpe, pulſuum rarò meminit. *Eſt ſeroſum ſanguinis excrementũ*,

ex liquidorum alimentorum vberiori copia in hepate genitum. Singuli humores suum habent serum, vnde est bilioſum, pituitoſum, melancholicum: non est excrementum, planè inutile, quia massam sanguineam reddit magis fluidam, vt per omnes venas faciliùs permeare possit, vnde meritò dicitur vehiculum. Hoc cum functum est munere, a renibus per emulgẽtes emungitur, truditurque per vreteres in vesicam, inde foras per penem. Multæ eius ſpecies, præcipuę verò ſex, omnes ex Subſtantia, Qualitate, Quantitate, & Contenctis deſumptæ. Ex ſubſtãtia tenuis vel craſſa, vel mediocris (de mediocritate nihil ampliùs dicam, nam omnes differentiæ vt extremũ, ita mediocre habent.) Tenuis est, quæ aquam refert, expers nitroſi bilioſique humoris in hepate geniti, & cõcuſſa ſpumam edit exiguam, citoq; euaneſcẽtem: Craſſa verò est ei contraria, quæ nimirum alios ſibi adſciuit humores. Illius cauſa est vitiata coctio tum in ſtomacho, tum in hepate; ob quam serum non craſſeſcit. nam quod coquitur craſſeſcere neceſſe est. Altera cauſa est obſtructio meatuum, per quos percolatur, vnde fit, vt craſſiores partes exitu prohibeantur, tenuibus ſolùm percolatis. Tertia est renum & emulgentium debilitas, ſeu vis attractiua debilis, frigida aliqua intemperie inducta. Craſſæ verò vrinæ cauſæ ſunt contrariæ, probè facta co-

coctio, cuius est incrassare; meatuum apertio, crudæ materiæ mistio, renum & emulgentium attractrix facultas valens. Mediocris vrinæ, mediocris causa est. Ex substantia etiam desumitur vrina clara, ac perspicua, & obscura, opaca, ac turbida. Illa est, quam visus facilè traijcere ac permeare potest; hæc quam difficilè. Illius causa est vis fortis coquens, ac potens separare heterogenea: huius verò debilitas, quæ heterogenea cum omogeneis cõfusa relinquit. Vnde fit, vt triplex sit huius species, prima quæ turbida mingitur, & claresci; altera quæ clara mingitur, & turbatur; tertia quæ & turbida mingitur, & turbida manet. Primæ vrinæ causa est aut calor naturalis coquere incipiens agitareque vrinam, sed præ debilitate impotens absoluere opus. vnde agita confusaque emittitur; claresci autem emissa, quia turbatę confusęq; partes externo frigore secedunt ac separantur: hoc in malignis febribus ferè accidit: in ardentibus verò & maximè calidis a calore nimio febrili fusq; deq; aguntur humores, confunduntur ac turbantur: emissi verò separantur eadem de causa. Secundæ vrinę causa est externa iniuria, quæ labefacit vrinam. vnde vt ex prima coniectamus incẽdium ac malignitatem morbi, ita ex hac iniuriam solùm externam. Illud tamen scire oportet, aliquando in morbis accidere, vt clara min-

gatur in principio, mox turbetur, cuius causa est praua morbi qualitas, designaturque maligniorem fieri. Tertiæ causa est maxima agitatio, firmaque confusio heterogeneorum humorum ab æstu caloreq; febrili, & a vi morbi maligna. vnde fit, vt hæc vrina maius portendat periculum, mortemque minetur.

Ex qualitate etiã sumũtur vrinę species coloratæ vt alba, nigra & intermedij coloris pallida fulua, flaua, rubra. Alba ideo est, quia bilis non miscetur, sed vel aliò demandatur, vt in ictero; vel non generatur vt in cruditate: vel etiam alba est, quia plurima est vrina: nam bilis non sufficit ad totam vrinam tingendã, vt in potatoribus videre est, & in ijs, qui thermales aquas bibunt. est demum alba albę materię mistione, vt pituitę copia, vt accidit in catarrho. Nigra albæ ex diametro contraria, inde oritur, quod vel atræ bilis copia, vitio alicuius visceris genita, misceatur; vel lien ab obstruentibus humoribus solutum per vesicam exoneretur; vel demum, quod pars aliqua cancrenam subiens, emortuum sanginem, ac proinde nigricantem emingat: quod sanè exitiosum est ac mortiferum. Pallida inter verè coloratas prima est, proximaque albæ, ex eo nascitur, quod pallidæ bilis copia misceatur. Fulua, quæ colorem igneum ac flammeum refert, norma est perfectarum vrinarum, nascitur que pro-

proinde ex moderato viſcerum calore, proba coctione, ac naturali conſtitutione, debita demum bilis portione. Flaua eſt paulò ſplendidior fulua, magis tamen bile ſaturata, vt propterea Crocea etiam dicatur, emingiturque non ſecus, ac ſi rhabarbarum manſum eſſet, aut crocum; vt meritò inde coniectari poſſit, vel quod obſtructionibus præmantur viſcera, vel incendio æſtuent. Rubra vel ſplendet, vel non: illa bilis copiæ ſoboles eſt, hęc ſanguinis admiſti: bilis ex feruente iecinore atque æſtuante naſcitur; ſanguinis ex vena aliqua rupta, aperta, aut dilatata manat. Iam verò iſtarum omnium ſpecierũ ſummum eſt, minimum, & mediocre, & propterea vel maximè flaua, rubra, pallida, nigra, albaque eſt, vel ſubflaua, ſubrubra, ſubpallida, ſubrufa, ſubnigra, ſubalba; vel demum minimum iſtorum colorũ habet. Illud etiam ſcire oportet, vnamquamque ferè harum ſpecierũ alias ſibi ſimiles complecti, vt Alba aquoſam, Nigra, atram, liuidamque, Fulua citrinam; ceteræ ceteras nonnullas. Ex qualitate & illa ſumitur vrinæ differentia, quod alia ſit boni, alia praui odoris. Boni odoris eſt vrina vel quia optimè cocta eſt, vel quia aſſumptum eſt aliquod odoriferum, vt therebintina, quæ vrinã reddit violacei odoris & ſatis grati. Mali verò eſt, vel quia putrida materia cõmiſcetur, vel quia tranſit per putridum

& vlceratum locum, vel quia aliquid assumptum est, quod vrinam reddat graueolentem, vt est allium.

Ex quantitate nascuntur differentiæ vrinarum Copiosa, & Pauca. illa soboles est tum potus vberioris, tum pituitosi serosiq; alimenti, tum excalefacti capitis (nam *Vbi caput incaluerit, multum vrinæ emittitur* ait Hippocrates) aliarumq; partium; tum ob calorem renum nimium; vsum diureticorum, ac demũ paruam per aluum deiectionem: nam vt est in Aphoris. *Mictio plurima facta paruam significat deiectionem*. Pauca verò & ex contrarijs nascitur causis, & ex ardenti febri absumente, ex immodica exercitatione, ex sudore nimio, ac tandem ex obstructione viarum, ac emulgentium renumque attractrice facultate debilitata.

Ex contentis denique sumuntur differentiæ. Quæ autem in vrinis continentur vel consueta sunt, ac vt plurimum continentur, vel rarò & inconsueta. Illa triplicia, Sedimẽtum, quod in fundo vasis subsidet; Suspensum, quod in medio matulę æquali libramento substentatur; Nebula, quæ in superficie natat. Vnumquodque ex his & colore & substantia diuersum est. colore quia aliud album, aliud nigrum, rufum, rubrum &c. substantia quia vel lęue, quod æquè sibi continuũ est, vel asperum, quod partibus diuulsum existit: vel

æqua-

æquale, quod ſecundum totum eadem, craſſitie ac corpore præditum eſt; vel inæquale, quod ex parte craſſum, ex parte tenue eſt. Hæc omnia excrementa ſunt, in ſanis quidem humorum, qui in ſubſtãtiam aliti verti non potuerunt, & propterea per vrinam eijciuntur: in ægris verò humorum morbidorum, qui itidem per eas vias exturbantur. Et quia hi humores non niſi cocta maſſa materiæ morbificæ extruduntur, propterea indices coctionis certiſſimi habentur.

Quæ verò rara & inconſueta ſunt, plurima obſeruantur, Arenæ frequentiùs, calculi rariùs, vermes adhuc rariùs, caruncułæ, filamenta, ſanies, pili, ſanguinis grumi, materia furfuracea, pultis ſimilis, oleoſa, ceteraque non pauca, quæ a diuerſis cauſis oriuntur, & diuerſa ſignificant, de quibus conſulendus eſt omnium bonorum auctor Hippocr. in aphoris; Progn., Prædict., & Coacis & earum enarratores Duretus, Hollerius, Iacotius, & præcipuè Proſp. Alpinis *de Præſag. vita & morte ægrotantium*.

Illud interim ſcire conducit, optimam vrinam eſſe ſubſtantia mediocrem, colore flauam & palearem cum albo, læui & æquali ſedimento: & quanto ab hac recedit, tanto deterior habenda eſt. Hæc pauca paucis dixerim de Vrina: nunc ad Symptomata calamum conuertamus.

SECTIO SECVNDA
De Symptomatibus.

CAusis, Speciebus, Signisque morborum enarratis, duplici nomine de Symptomatis agẽdum est, tum quia & hæc illorum signa sunt, tum quia eos sequuntur tamquam vmbra corpus, vt propterea ab aliquibus ἐπιγέννημα dicãtur, hoc est, consequentia atque succedentia: σύμπτωμα verò ex eo aptè etiam dicitur, quod deriuetur a συμπίπτω, idest vna coeo, simul incurro: nam morbus & symptoma simul coeunt atque incurrunt, & vno posito ponatur alterum, & altero existente alterum existere, necesse est. Vnde patet, nos hìc agere de Symptomate præsa non larga significatione sumpto, non vt comprehendit omne præter naturam, corpus lædens, siue morbus id sit, siue causa morbi, siue accidens morbum consequens: sed vt peculiariùs sumptum, significat id quod morbum principale ita sequitur, vt eo posito ponatur, auferatur ablato: v.g. sitis & vigilia præsente ardente febri: nam ea ita pendent a febri, vt eam sequatur, vt vmbra corpus. Hæc ab aliquibus diuiduntur in tres species: prima est Symptomatis

mor-

morbi, vt cum ex morbo sequitur symptoma, actio v. g. læsa, vt ex stomacho morbo aliquo laborante sequitur deprauata coctio, & imperfecta chylosis. Altera species est symptomatis causæ, cum actio aliqua læditur nullo præsente morbo, vt mala coctio vitio alimenti, quod causa est, non verò stomachi aliquis morbus. Tertia species symptomatis est ipsiusmet symptomatis, cum scilicet symptoma ex symptomate sequitur, nullo intercedente morbo, vt cum ex cita excretione sequitur cruditas. Sed hæ species minùs faciunt ad ordinem a nobis suscipiendum. A Galeno igitur symptomata tripartitò diuidũtur, *Alia siquidem nostri corporis sunt affectus, alia functionum læsiones, alia ambo hæc comitantur, vt sunt excrementorum immodica tum excretiones, tum suppressiones. Has igitur symptomatum differentias examinemus, ab actionibus læsis auspicati.*

De Symptomatibus, Quæ in Actionibus Læsis Sita sunt. Cap. 1.

QVamquam Galeno *Actionum læsio duplex est, altera ad animalem, altera ad naturalem functionem pertinens*, tamen distinctionis & ordinis magis acco-

BIBLIOTECA

modati gratia, in tres classes diuidemus, in actiones scilicet animales, naturales, & vitales. nam etsi vitales actiones perpaucę sint, tamen eæ, quæ sunt, prætereundę non videntur. Omnes autem triplici modo lædi possunt, vel, vt loquuntur, *depravatè*, cum scilicet, non ea, qua debent, ratione fiunt; *vel diminutè* cum non perfectę eduntur, sed aliqua ex parte mutilæ: vel demum *ablatè*, cum ex toto deficiunt, nec vllo eduntur modo.

Animalium autem functionũ symptomata plurima sunt, ac tot omnino, quot ipse actiones, esse censentur. Actiones verò sunt iuxta facultates diuisæ: ergo cum facultates aliæ sunt principes ac gubernantes, aliæ sensitiuę, aliæ motiuæ, actiones etiam, & ex his consequentia symptomata alia ad gubernantes facultates pertinebunt, alia ad sensitiuas, alia ad motiuas.

Quod igitur pertinet ad Principes ac gubernantes facultates, cum hęc tres sint, iuxta singula, actiones lęduntur, symptomataque nascuntur. Ergo si imaginatio lædatur triplex symptoma sequi potest: nam deprauatur in delirio, diminuitur in lethargo, aufertur in catalepsi. Ratiocinatio lęditur etiam tripliciter; nam deprauatur in phrenitide, imminuitur in fatuitate, aboletur in amentia. Memoria demum deprauatur cum non ea, qua oportet, ratione recordatur: imminuitur, cum ex par-

parte rerum ſpecies ſuppetunt, ex parte excidunt: aboletur, cum nihil planè in memoriam venit, vt accidit eis, qui etiam propriorum nominum in græca peſte obliti fuerunt ex Thucid.

Senſuum etiam externorum eodem modo naſcuntur ſymptomatà. Et viſus quidem deprauatur in hallucinatione, in qua res apparent aliter, atque reuera ſunt: imminuitur in ſuffuſione, in qua res ſubobſcurè videntur: aboletur in cęcitate, in qua nihil prorſus apparet.

Auditus etiam deprauatur in ſonitu, ſibilo, tinnitu ceteriſque huiuſmodi, in quibus non aboletur nec imminuitur, ſed potius ſentiuntur ea quæ ſentire minimè deberent: imminuitur in hebetudine, grauique auditu, in quibus obſtrepentia ſubobſcurè audiuntur, remiſſiùs ſonantia aut nihil aut fere nihil ſentiuntur: aboletur in ſurditate, in qua nec bombardæ audiuntur, nec toni.

Olfactus, Guſtatus atque Tactus eodem modo læduntur, deprauatè, diminutè, ablatè ſeu abolitè. Horum omnium cauſa multiplex eſt: vel enim inſtrumenti vitio contingit, vel facultatis: & ſi inſtrumenti, vel ratione partium ſimilarium, ex quibus conſtant; vel ratione ſui: ſi ratione ſimilarium partium id accidat, neceſſariò aderit intemperies aliqua aut ſimplex calida, frigida, humida, ſicca; aut compoſita

calida humida, calida ſicca, frigida humida, frigida ſicca: aut cum materia biliosa, pituitosa, ſanguinea, melancholica, serosa &c. Si ratione ſui, ideſt inſtrumenti lædatur actio, huiuſmodi lęſio pendet vel a mala figura, vel a ſitu præpoſtero, vel numero abundante ſeu deficiente, vel magnitudine ac paruitate. Quod ſi in inſtrumẽto nulla adſit labes, in facultate vitium inſit neceſſe eſt, ex quo ſequatur ſymptoma. facultas autem laborare poteſt vel quia in quantitate deficiat, vel in qualitate peccet. & hæ ſunt cauſæ vniuerſales omnium ſymptomatum, ad ſenſus internos externoſque pertinentium, nunc verò ad motum eiuſque ſymptomata accedamus.

Læditur autem motus deprauatè quidem, cum alio fit modo, quo fieri deberet, vt accidit in tremore atque conuulſione: vel diminutè fit, vt in laſſitudine: vel aboletur, vt in paralyſi. Horum cauſæ eædem ſunt, atque ſuperiorum ſymptomatum, ad ſenſitiuas facultates pertinentium.

Quæ verò ad vitalem facultatem ſpectant, Symptomata nunc enarranda. hæc tria ſunt iuxta tres modos læſarum actionum. nam ſi actio cordis, quę eſt perpetuus ille motus, ſyſtole ac diaſtole perfectus, deprauetur, Palpitatio naſcitur; ſi minuatur Lipothymia; ſi auferatur & aboleatur (ſenſu id iudice, non reuerà) ſyncope ſequitur. Deprauatur autem huiuſ-

modi

modi actio a re quapiam præter naturam cor inuadens, eiusque statum certumque motum interturbans, vt vapor, flatusque humores acres, ac putridi, aucta in pericardio aqua, serosoue humore, ceterisque quæ vim eius expultricem irritare possunt ad expellendum noxium sibiq; inimicum: nam a facultate acriter contendente, & a re noxia resistente ac propulsante, sequitur inordinatus motus & maximè auctus, qui Palpitatio dicitur. Minuitur verò, nasciturq; lipothymia ex spirituum vitalium paupertate, caloriſque natiui caritate. cum enim re quapiam, vel dolore, vel gaudio, vel merore, vel veneno, labore, odore prauo, vel demũ simili re magna ex parte absumuntur, euocantur, dissipantur ve. spiritus vitales, frigescit cor, non quidem omnino (nam statim interiret homo) sed ex parte, eius motus minuitur, ac lipothymia sequitur. Quod si adhuc magis vrgeãt eæ causæ, magis frigescit cor, ac minus opus est euentilatione, minusque cor mouetur. vnde syncope necessariò sequitur.

Quod facit ad symptomata naturalis facultatis, *Methodus eorum inueniendorum*, inquit Galenus, *est naturalium functionum cognitio, in quarum singulis triplex reperitur symptoma vnum abolitæ functionis, alterum deprauatæ, tertium diminutæ*. igitur naturales functiones sunt inuestigandæ: hæ præcipuæ sunt Altrix, Autrix, & Genetrix.

Al-

Altrici quatuor seruiunt, attractrix, retentrix, concotrix, & expultrix. igitur altrix si diminutè vitietur, sequitur siccior corporis habitus, atrophia & phthisis. si depraua tè, malus habitus, cachexia, aliaque: si demum abolitè atrophia, ideſt, omnimoda, vt sic loquar, innutritio. Imminutæ nutritionis, hoc est, gracilitatis ac thabis, & atrophiæ causæ sunt eædem, secundum magis & minus discrepantes: nam siue sit facultatis vitium, siue alimenti prout maius vel minus vitium est, atrophia, vel gracilitas nascitur. Facultas autem altrix læditur ab aliqua intemperie calida nimis vel frigida, ac multò magis sicca. Alimentum verò in causa esse potest si minus sit, quàm esse deberet, tunc enim partes debita fraudatæ alimenti copia, contabescunt: ité si nimis acre, ac minus pingue sit, quàm vt possit apponi & adhærescere partibus. Deprauatæ autem nutritionis, vt cachexię malique habitus, causa est alimenti praua qualitas in hepate contracta, vel aliqua partium intemperies, per quam etiam bonum alimentum non benè nutriat. Iam verò altrici facultati præcipuè seruiens facultas est Coctrix, cui attributæ sunt attractrix & retentrix, atque ea peracta etiam expultrix. Coctrix autem triplex est, prima quæ in stomacho, altera quæ in iecinore, tertia quæ in quauis parte. Igitur si quę in ventriculo, diminutè fiat, nascitur incohatus

hatus imperfectusque chylus, ac verè semicrudus, & eiusmodi symptoma dicitur βραδυπεψία. Si deprauatè fiat, deprauatus malisque præditus qualitatibns nascitur chylus, δυσπεψία necessariò sequens. Si demum aboleatur ἀπεψία fit, omnimoda cruditas. Causæ in duas classes relatę sunt; vel enim ad facultatem spectant, vel ad obiectum eadem plane ratione, qua dictum est superiùs in altrici facultate.

At coctioni primò seruit Attractio siue attractrix facultas, quæ & ipsa læditur imminutè & abolitè, vix deprauatè. Si ergo imminuta sit, ægrè deglutitur alimentum; si verò abolita, nullo planè modo. vtriusq; causa est vitium fibrarum œsophagi, per quas fit attractio alimenti ad ventriculum; vel certè perfecta imperfectaq; paralysis neruorum e sexta septimaq; coniugatione prodeuntium, & deglutitioni facultatem deferendo seruientium; vel demum alia, quauis causa, vt tumore aliquo, vel angina, vel simili.

Attractionem sequitur retentio siue Retentrix facultas: quæ & diminuta, & ablata, & etiam deprauata esse potest: cuius prioris causa est debilitas & resolutio fibrarum transuersarum ventriculi ob humidam frigidamque intemperiem: quæ si magna sit & insignis, sequitur omnimoda retentricis labefactatio; si verò non ita magna, sequitur eiusdem diminutio. De-

pra-

prauatio verò e flatibus humoribus ve-
acribus nascitur, qui ventriculũ vellicant,
coguntq; eũ fere palpitare, hoc est, motu
vario percelli, vnde sequitur retentricis
deprauatio.

Expultricis demum triplex læsio est: de-
prauata quidem in singultu, diminuta ve-
rò in nausea, abolita in omnimoda reten-
tione. Causa deprauatæ functionis expul-
tricis est materia aut qualitate aut quanti-
tate irritans quidem expultricem, sed illa
tamen incassum insurgens ad noxium ex-
pellendum. Diminutæ verò est debilitas a
frigore & humiditate inducta, vel simplici
vel composita, vel cum materia vel sine
illa: quæ si augeatur magis, abolitæ reten-
tionis causa est. Atque hæc breuiter dixe-
rim de Coctrice, eiq; famulantibus attra-
ctrice, retentrice & expultrice stomachi
facultatibus: ad quorum normam referre
commode possumus, quæ in coctione
hepatis fiunt symptomata: item & ea quæ
in solidis partibus. non enim de his singulis
singillatim agentes immorari debemus.
Itaque ad alteram præcipuam naturalium
facultatum accedamus.

Auctrix facultas & ipsa tripliciter lædi
potest: diminutè, cum corporis moles non
eò vsque augetur, quo vsque naturaliter
augeri deberet; vel aliqua eius pars, vt bra-
chium: vnde fit, vt vel homunciones sub-
crescant, vel decurtatũ aliquod membrũ.

De-

Deprauatè, cum aliqua pars augetur non eo modo, quo ſecundùm naturæ leges augeri deberet: vnde obliqua euadit pars: vel certè, cum auctio fieri deberet ſecundùm longitudinem ſimul & latitudinem, fit ſolùm vel ſecundùm longitudinem, & homines euadunt veluti perticæ baculiq; oblongi; vel ſecundùm latitudinem, & euadunt quædam veluti dolia, quorum vtrumque hic Romæ plurimos videmus. Abolitè demum contingit auctio, cum nullo planè fit modo. Diminutæ auctionis cauſa eſt exiguum alimentum, aut facultas impotens debitum ſibi demandatum alimentum ſubigere, & in ſubſtãtiam partium tranſmutare. Deprauatæ aut deprauatum alimentum, aut facultas deprauata. Abolitæ vtriuſque vel alterius abolitio, & ſummum vitium.

Quod demum facit ad Generatricem, quæ vltima eſt inter naturales facultas; hæc vel non fit, & dicitur infœcunditas ſiue ſterilitas: vel diminutè fit, & veluti pygmei naſcuntur, cubitales nimirum homunciones: vel demũ deprauatè, & monſtra oriuntur, de quibus adeundus eſt Licetus, vir nunquam ſatis laudatus. Horum omnium cauſa vel a facultate pendet, vel a principijs ſemine ſanguineq; vel ab alio, quæ apud eum videri poſſunt.

De

De Symptomatis, quæ in Affectibus nostri corporis consistunt Cap. 2.

Symptomatum, quæ in corporum consistunt affectibus, siue, quod idem est, in qualitatibus corporis mutatis, *primæ differentiæ sunt quatuor* inquit Galenus cap. 5. *Siquidem alia ad visum, alia ad odoratum, alia ad gustum, alia denique ad tactum pertinent. Etenim quæ ad visum spectant, ea sunt quæ consistunt in colore præter naturam siue is vniuersum corpus occupet, vt in arcuatis* siue ictericis, spleniticis, hydropicis; *siue vnam tantum partem, vt in carbunculis*, erysipelate, gangrena, faciei maculis, ceterisque sexcentis. Quæ verò ad olfactum pertinent, sunt graues e corpore exhalantes odores, vt e dentibus, naribus, alis, pedibus, vel etiam e toto corpore. *In gustu autem symptomata sunt omnes sapores, qui ægris præter solitum accidunt, vt si alienas qualitates se percipere sibi videantur:* cuius symptomatis exemplum præ manibus habeo: nam melancholicam ac hipochondriacam curandã susceпi, quæ primò quidem omnia carnium genera siue elixa, siue assa, siue

alio

alio modo cocta videbatur referre odorem rei combustæ: cetera verò alimentorum genera natiuo sapore ptædita percipiebantur: mox etiam panis referre cæpit ingratum illum saporem, deinde caseus, post oua, demum etiam herbæ & omnia planè ædulia. Quæ demum ad tactum pertinent symptomata, ea sunt, quæ tactu deprehenduntur, vt durities in cuti natura molli, asperitas in eadem natura lenior, calor in temperata sua natura, &c. Iam verò si quis miretur a Galeno quatuor tantum cõstitutas esse horum symptomatum differentias, auditus sensu prætermisso; is sciat, neque hunc a Galeno penitus neglectum, cum loco nuper citato meminerit etiam eorum symptomatum, quæ ad voces sonosque mutatos pertinent.

De Symptomatibus, quæ in Excretis & Retentis sita sunt Cap. 3.

TErtium postremumq; symptomatum genus ad excreta retentaque spectat. cum enim quæ excernenda retinendaque sunt vel toto genere peccant, vel quantitate, vel qualitate, vel tempore, vel modo, sequitur symptoma excrementorum proprium. Itaque quinq; modis accidere po-

poteſt hoc ſymptoma. Et primo quidem modo accidit, cum res a natura alieniſſimę excernuntur, vt lapides, vermes, pus, ſimilia. Secundo cum plus minus ve excrementi excernitur, quàm deberet, vt accidit in dyſenteria, diabete, ceteris; & in ſuppreſſione vrinæ, in alui ſtipticitate, aliiſque. Tertio cum non ea, quam naturę inſtitutum, morbiq; natura poſtulat, qualitate excretiones contingunt: vt in phrenitide, ardente febri pituitoſa excremēta: in quartana bilioſa, in lethargo melancholica aduſtaque. Quarto cum præpoperè contingit excretio, in principio morbi, & crudis adhuc humoribus. Quinto cum quæ per aluum euacuari deberent, per os reijciuntur: quæ per vterum, euacuantur per nares, vt de menſtruis e naribus fluxis liquido conſtat.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS

DE THERAPEVTICA Siue de Methodo Medendi.

IN primo Institutionũ libro id egimus, vt absolutam humani corporis scientiam, partium omnium similarium, ac dissimilariũ, omnium facultatum, ac functionũ doctrinam, & vno verbo, quicquid ad hominẽ, vt medicinæ subiectum est, intimè cognoscendum spectaret, assequeremur. In altero libro morbos omnes, omniaq; symptomata, quibus obnoxium est corpus humanum, & explanauimus & signis deprehendimus. Itaque necessariò sequitur, vt Tertio Libro methodum rationemque tradamus, qua eos pellere, corpusque in perfectam sanitatem vindicare possimus. In quo quidem præstando eumdem planè seruabo ordinem, quo superiùs vsus fui. Cum enim humanum corpus tribus morborum generibus pateat, Intemperiebus,

quæ

Digitized by Google

quæ Similarium partium propriæ sunt; Malæ structuræ, quæ organicarum est peculiaris; & Solutæ vnitatis, quæ ambobus communis est; eam inibo viam, vt singulorum generum morborum curandorum rationem methodumque tradam, prius tamen ea præmittam, quæ his omnibus & communia, & peroportuna videntur. Verum quia inutile penè esset vniuersalia ea nouisse, reperisseque vniuersalem illam methodum omnium curandorum morborum, nisi particularia instrumenta, quibus illa opus habent, innotescerent, fit, vt de tribus Medicinę Instrumentis, Pharmacia, Chirurgia, ac Diæta agendum sit. Itaque hic liber, vt superiores duo, in duas Sectiones partitus erit, in Prima ratio ac methodus curandorum morborum omnium tradetur, in altera instrumenta omnia, quibus ea methodus absoluitur, explicabuntur. Et prima quidem Sectio partita erit in 4. cap. in primo de vniuersali methodo curandorum morborum, deque indicationibus, & omni eo, quod ad indicationem spectat, agetur: in altero, de methodo curandorum Intemperiei morborum. Hoc cap. tripartitum est: in primo mẽbro agitur de curanda intemperie sine materia; in altero de curanda intemperie cum materia, in tertio de curanda intemperie occulta ac maligna. In 3. cap. de morbis in mala compositione curandis, qui cum in qua-

quatuor consistant in figura, numero, magnitudine & situ, hoc cap. diuisum erit in quatuor membra, in primo agitur de curanda mala figura, in secundo de numero, in tertio de magnitudine, in quarto de situ conuenienter restituendis. In 4. cap. de solutæ vnitatis curandæ ratione, in quinto de curandis Symptomatibus. Secunda verò Sectio comprehendit tria Medicinæ Instrumenta, in tria proinde cap. distincta. In primo agitur de Pharmacia hoc diuisum est in tria membra: primũ membrum comprehendit Alterantia, alterum Euacuantia, tertium tradit rectum vsum tum alterãtium, tum euacuantium. Secundum cap. complectitur Chirurgiam; tertium Diætam, & ita absoluta erit therapeutice.

De Generali Medendi Methodo. Cap. 1.

CVrandorum morborum triplex ratio, ab antiquissimis ducta temporibus, apud Medicos est: vna, quæ experimentis solùm nixa, Empiricorum fuit propria. Altera, quæ a duabus illis communitatibus, Laxo & Stricto, sumpta indicatione, a Methodicis exculta fuit. Tertia, quæ ratione ex-

experimentoque vsa, Rationales habuit auctores ac vindices. Et sanè faciendæ Medicinæ vna hæc vltima ratio est, vna via, quam qui rectè inijt, is verè Asclepiadeus, & a summo illo artis oraculo verè oriundus. Profectò experientia sine ratione periculosa est & infida; ratio sine experientia audax & inconstans: vt propterea dixerit Hippocrates lib. de Vet. Med. *Sola ratione in Medicina vti non datur, sed insistendum est ijs quæ fiunt, si quis optimum habitum & minimè linquentem sibi comparare velit.* Vtraque igitur, experientia, ac ratione, tanquam duobus oculis vti debet medicus, qui in explorandis curandisque morbis oculatus ac verè lyncæus esse haberiq; cupit. Itaque methodo ac ratione in vniuersalibus, experientia in particularibus instructus esse debet medicus. Illam ergo hic trademus, hac vniuscuiusque industriæ adipiscenda relicta. *Methodus igitur est ratio, qua per indicationes auxilia morbis opportuna reperiuntur.* Antequam enim particulores morborum curationes aggrediamur, necesse est, vniuersalia quædam nouisse theoremata, per quæ ad particularia descendamus. Prius, quàm pleuritidem curemus, necesse est, vniuersalem quandam nouisse rationem, per quam omnia, omnibus inflammationibus communia, noscamus, vt euacuare & deriuare fluxam materiam, reuellere & intercipere fluentem, flu-

fluxuram prohibere &c. Via igitur, modus, ac ratio, quæ docet vniuersalem hanc curandi normam, Methodus dicitur. Verùm ratio hæc atque via Indicationibus initur, neq; potest quisq; assequi, quod in quouis morbi genere præstandum sit, nisi id per indicationes cognoscat. neq; enim reuellandum in inflammatione sciet, nisi prius per indicationem nouerit, materiam in inflammatam partem fluẽtem, ne fluat, prohibendam esse. *Indicatio igitur nil aliud erit, quàm ostensio remedij:* & methodus nil aliud, quàm habitus quidam intellectus, ars, via, ratio, quæ ex pluribus ostensionibus indicationibus ve constat: vt in proposito de inflammatione exemplo liquidò constat. nam tres in ea præcipuè indicationes, fluxam euacuare, fluentem reuellere, & fluxuram prohibere: hæc verò ratio, ars, habitus ve intellectus, quo hæc tria comprehenduntur, methodus dicitur. Iam verò exactiùs definitur etiam a Galeno, vt indicatio sit *Comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis*: necesse enim est, vt non solùm per indicationem comprehendamus, quæ iuuant, auxilia nimirum & remedia, sed etiam naturam eorum quæ nocent, hoc est, morborum: ideo in inflammatione naturã eius morbi cognoscamus, necesse est, & remediorum. Sed adhuc exactiùs ab exactissimo medicorũ Capiuaccio. *Indicatio est comprehensio*

iuuantis simul cum comprehensione indicantis, citra experientiam & analogismum gratia sanitatis deperditæ reparandæ. Additum est, *citra experientiam & analogismum* (vt etiam a Gal. additum 11. ad Thrasyb.) non quia experientia nihil faciat ad morborum curationem, sed quia indicatio habetur ab intellectu comprehendente id, quod vtile sit morbo abigendo; experientia a sensu. *est enim experientia obseruatio siue comprehensio eius, quod sæpe eodem modo factum est*: indicatio verò intellectu fit perpendente morbi naturam causasque. Analogismus verò & ipse excluditur, quod parum faciat ad curationem morborum, cum a simili remedia petat. *est enim analogismus comprehensio iuuantis per similitudinem* aut morborum, aut partium, aut medicamentorum: quia enim in simili re profuit betonica, ideo etiam in hac profuturã medicorum plurimi profitebantur: quod esse falsum ad Thrasyb. probat Gal. & in lib. methodi. Additum *gratia sanitatis deperditæ*, quia hic de medendi methodo agimus, non de methodo præseruandi, vel conseruandi.

Iam verò indicationum species seu differentiæ plurimæ sunt: ea maximè vniuersalis est, quæ a rebus præter naturam, & a rebus secundum naturam sumitur: illaque *Ablatio*, hæc *Conseruatio* dicitur. Aliæ verò indicationũ species vulgò inculcatæ sunt ferè

ferè inutiles, vt artificiosa indicatio, & in artificiosa; vtilis, & inutilis &c. In ea verò indicatione, quæ a rebus præter naturam sumitur, tria spectantur, ipsa indicatio, indicans, & indicatum. Indicatio vel generica est, vel specifica siue particularis: illa est, quæ generi communia indicat, vt in febri refrigerare, quod certè omnibus febribus commune est. Specifica verò seu particularis ea est, quæ huic debetur febri, vt in tertiana bilem euacuare. Quod verò facit ad Indicans, hoc duplex est (loquimur semper de indicatione ac indicante, ad medendi methodum spectante) alterum morbificum, alterum vitale: illud est, quod a morbo sumitur; hoc quod a virtute; tertium, quod addunt a causa morbi desumptum, ad methodum non curandi, sed præseruandi pertinet. Indicans morbificum est, quod in corpore præter naturam existens sui ablationem indicat. Sunt & alia minùs principalia indicantia, quæ non per se, sed cum principali indicante, coniuncta maximè faciunt ad morborum curationem: huiusmodi sunt ætas, temperamentum, corporis habitus, peculiaris cuiusque natura, consuetudo, anni tempus, regio, pars morbo affecta; morbi tempora, & si quæ sunt talia. Hinc nascuntur vulgò dicta Coindicantia, Contraindicantia, Permittentia, Consentientia, aliaque ad indicationē pertinentia, de quibus

omnium optimè Capiuaccius in suo methodo differit, a quo omnes, qui de ea re benè scripserunt, se sumptisse plurima profitentur. Est autem Coindicans, quod vna cum principali indicante indicat; vt anni tempus æstiuum in purganda bile in tertiana, principale indicans est febris tertiana, coindicans æstas. Contraindicans est, quod præcipuo indicanti repugnat, euertitque ac prohibet, quod ab eo indicatum est; vt vires infirmæ in mittendo sanguine in febri putrida. Permittens est id, quod ea, quæ ab alio indicata sunt, renuit quidem, sed tamen approbare cogitur, vtpote potiori indicanti obedire coactum, vt vires validæ in phlebotomia, nam hæc ex se prohibent euacuationem, quia ab ea labefactantur ac deijciuntur; permittunt tamē quia cogūtur ab indicāte, quod omnino postulat sanguinis missionem. Consentiens ne transuersum quidem vnguem ab indicante principale recedit, eaque omnino comprobat, quæ ab eo postulata sunt: vt bilioſum temperamentum in euacuanda bile febris tertianę.

De vitali verò indicante nihil dicam: est enim id, quod vitam viresque tuendas suadet. Medicus duobus oculis ægrum spectare debet, dextero quidem in eius virtutem, vires ac vitam; sinistro verò in morbum intentus. Hæc de Indicante;

Indicatum verò est ipsum remedium, in-

indicanti ex diametro oppositum, ideoq; spectatum, vt illud oppugnet. In hoc duo maximè attenduntur, ipsa auxilij natura, & recta eius administratio: illud *Quid agendum* dicitur a medicis, hoc *Vsus*: illud vniuersale est, & particulare: vtrumque est contrarium, illud in genere, hoc in specie: vt febri frigidum remedium; vt tali febri tale frigidum, v.g. vt duo. Vsus verò in tribus maximè consistit, in *Vbi*, *Quando*, *Quomodò*: Capiuaccius *Quantum* addit, Sennertus demit *Quomodò*: vterq; parum ad rem: ille quia *Quantum* præscribitur a gradu indicantis, comprehenditurque in *Quid* agendum, vt dictum est, ipseque Capiuaccius profitetur: v.g. in hac febri refrigerandum esse, vt duo pertinet ad indicatum secundum suam essentiam, ad indicatum specificum, sicuti esse refrigerandum ad indicatum generecum & vniuersalem. Neque Sennertus omnino ad rem, quia *Quomodò* summoperè conducit ad rectam remedij administrationem, & vsum, vt inferiùs liquidò constabit. Iam verò quod facit ad *Vbi*, hoc est, quo in loco agendum, affectus locus ostendit, vt videre est in pleuritide, angina &c. *Quandò* verò indicatur a præsentia morbi. tunc enim agendum, cum morbus est præsens. Indicatur etiam ab alijs compluribus: neque enim quouis tempore prçsens sit morbus, agendum, sed tunc, dum tales ac tales

præsto sunt conditiones: vt in feb. ardente aquæ potus non omnino, cum præsens est febris ardor, vsurpandus, sed cum cocti sunt humores, cum ætas viget, æstas ceteraque consentiunt, quæ consentientia ac permittentia dicuntur. & hoc est, quod tantoperè commendatur ab Hippocrate extatque lib. de V.M. *Medicina breuem habet occasionem, quam qui scit arripere, scit mederi*, nempe qui scit arripere tempus oportunum administrandi remedij. *Quomodò* demum, ideſt modus remedij adhibendi varius est: nam quoduis medicamentum plurimis adhiberi potest modis, solidum, siue, vt loquuntur, in substantia, infusum, extractum, decoctum, foris adhibitum, intus assumptum, & sexcétis alijs modis, qui neque ad quantitatem, neque ad tempus, neque ad locum commodè referri possunt. Hæc breuiter dicta sint de Indicationibus, Indicantibus, & Indicatis, atq; adeò de ijs, qui genericè de Methodo curatiua præcognoscere necesse erat.

De Morbis Similarium Partium Qui in Intemperie Consistunt, Curandis Cap. 2.

QVem a principio nostrarum institutionum constituimus, ordinem religiosè

giosè tuemur. Iuxta partes nostri corporis primum Institutionum librum conscripsimus: iuxta morbos ijs partibus accidentes alterum librum concinnauimus: tertium æquum est, vt iuxta eamdem diuisionem absoluamus. Ergo cum, triplicies esse morborum genera, cõstitutum a nobis sit, In intemperie, In mala compositione, & In soluta vnitate; necessariò sequitur, vt medendi methodum iuxta eamdem partitionem peragamus: initium sumentes a morbis in intemperie, qui similarium partium proprij sunt.

De Curanda Intemperie Sine Materia. Memb. 1.

CVm ea constans ac perpetua medicorum lex sit, vt *Contraria contrarijs curentur*, fit vt contraria intemperies ab altera contraria emendetur. Calida igitur frigidam indicat expostulatque, frigida calidam, humida siccam, sicca humidam. Hoc autem vt in simplicibus intemperiebus, sic etiam in compositis perpetuum est. ergo calida humida frigidam siccam desiderat; & econtrariò frigida sicca calidam humidam; calida sicca frigidam humidam, frigida humida calidam siccam.

Illud tamen animaduertendum, non *quodlibet indicare quodlibet, sed determinatũ*: tale igitur calidum tale frigidum indicat: calida intemperies, vt loquuntur, vt duo frigidam eiusdem virtutis aut certè paulò validioris indicat. cum enim indicatum agere debeat ac vincere indicans, *actioque sit a proportione maioris inæqualitatis supra resistentiam passi*, necesse est, vt remedium indicatum indicantis morbi vires & gradus superet: si itaque intemperies erit v. g. vt duo, remedium esse debet paulò intentius, ac ferè vt tria: alioquin nulla sequeretur morbi expulsio nullaque victoria, cum indicatum auxilium indicantem morbum non superaret.

Est tamen animaduertẽdum indicatum & indicans non semper gradibus, vt diximus, respondere, sibiq; consentire, si physicè loquamur. nam si frigida intemperies v. g. vt duo corrigenda est, non calore vt tria, imò nec vt duo, corrigenda; nempe quia metiri debemus agentis virtutem, & patientis resistẽtiam. si enim agens natura sua maximæ sit actiuitatis, patiens minimę resistentiæ, vt est calor & frigus, profectò etiam agens vt vnum (*cum Care Carizo*, nec inuitus) agere ac superare poterit patiens, vt duo. Econtrario si passum maximæ sit resistentiæ, agens minimæ actiuitatis, vt humidum & siccum, agens in gradu maius ac valentius esse oportet, vt passum

vin-

vincat. ergo ſicuti calor infirmior ſuperabit frigus paulò validius in intenſione; ita ſiccitas paulò ſuperior vix ſuperabit humiditatem inferiorem in gradu. Ita res ſeſe habet ſi phyſicos rerũ gradus ſpectemus. Verum quia, vt diximus cap. 3. noſtrarum *Exercitationum De Sero Lactis*, in medicina non tam ex ſeſe, quàm ex noſtro corpore conſtituuntur rerum gradus; ideo fit, vt indicati intentio aut remiſſio ſtatuatur cõparatione facta ad noſtrum corpus, potius quàm vel ad ſe ipſum, vel ad morbum. Cichoria conſtituitur frigida v. g. vt duo, quia hominem adeò refrigeret, vt frigus inducat eius gradus; non quia ſecundùm ſe eiuſmodi ſit (fortaſſe enim calidior eſt, ſiue minùs frigida) ſed quia reſpectu hominis talis habetur: *Ergo non abſolutè ex materia paſſionibus conijcere eius ad nos facultatem oportet*, ait Gal. 1. Simpl. ſed ex noſtro corpore definire. Statuendum eſt igitur, quemadmodum neceſſarium eſſe, vt indicatum remedium paullo intentius in gradu ſit, quàm morbus indicans; vt nimirum actio morbique expulſio ſequatur: ita eſſe neceſſarium, vt indicati gradus non phyſicè ſpectetur ac definiatur, ſed comparatiuè ad noſtrum corpus. Quamuis igitur calor v. g. vt duo ex ſe vincere, & expellere poſſit frigus vt tria, tamen vt refertur ad noſtrum corpus, debet eſſe, vt tria imò paulò valentius. Quarè cum in-

temperies frigida, vt duo corrigenda est, medicamentum calidum plus quàm, vt duo quærendum.

Animaduertendum etiã ex Gal. 7. meth. vbi hasce curat intemperies, minùs tutum esse, paulò diutiùs refrigerare, quàm calefacere, nempe quia maius impendet periculum animio frigore, quàm a calore nimio, cum illud naturæ vitæque infestissimus sit hostis, hic verò etiam nimius non adeò inimicus. nam vita in calore sita est, & morte frigescunt omnia.

Neque illud silentio prætereundum, calore & frigus sicuti non longissimè inter se actiuitate, & agẽdi tempore distare (sunt enim ambo actiuæ qualitates) ac proinde calefactionem, & refrigerationem eodem ferè temporis spatio sequi: ita humidũ & siccum, & ab illis vi etque actiuitate recedere, & inter se longè imparia esse. Itaq; longè diutiùs siccandum, quàm humectandum est: nam etsi vtraque hæc qualitas passiua sit, altera tamen superat alteram in resistendo. humiditas diutiùs resistit, siccitas non ita. ergo diutius siccandum, quàm humectandum est.

In hisce autem omnibus curandis intemperiebus illud etiam notandum est, accomodata cuique parti alterantia vsurpanda esse: siccando, calefaciendo, humectando, refrigerando ve capiti siccantia, cephalica, calefacientia, humectantia aut re-

refrigerantia adhibenda: vt bettonica, salua, viola, lactuca. idem de oculis, pulmone, corde, hepate, splene, ceteris quibusuis partibus obseruandum est. nam splenica, hepatica, cardiaca, ceteraque sympathica vsurpanda sunt.

De Curanda Intemperie Cum Materia. Memb. 2.

CVm, vt suo loco diximus, intemperies aliæ simplices sint, aliæ cum materia coniunctæ, tradenda etiam est methodus harum curandarum. Materia autem duplici modo copulari potest cum intemperie: vel enim materia in partem aliquam influens diuturnitate ac mora simili intemperamento partem afficit, excitatque ibi intemperamentum: vt pituita e capite in stomachum labens. vel intemperamentum paulatim in partem errore aliquo externo irrepens, ibique diu insidens, materiam sibi adiungit, cogens nirum intemperatam a se partem, similem producere materiam, vt a diuturno aromatum vsu in hepate genita sicca calidaq; intemperies, adauget bilem mirum in modum. Quouis modo id contingat, duo moneo: alterum semper corrigendam esse

per contrarium intemperiem, maximamq; euacuandam per proprium catharticum: Alterum euacuandam esse prius materiã, quàm intemperies corrigatur. nam etsi sæpe, vt diximus, accidit, vt intemperies accersat materiam, eaque huius causa sit, ac proinde illa ceu causa tollenda videatur; tamen quia hæc mirè fouet intemperiem, nisi prius tollatur, incassum agimus cum alterantibus. itaque siue intemperies consequatur fluxam in partem materiam, siue materia accersita sit genitaque ab intemperie in parte; semper primò, si rectam methodum sequi libeat, euacuanda materia est, deinde intemperies corrigenda. Quod sanè non aduertens Sennertus, vniuersali theoremate præcipit, causam prius tollendam esse, quàm effectum, in hisce curandis intemperiebus. Moneo tamen, me non negare, cum causæ mutuò sese consequuntur, methodum requirere, vt prior tollatur, deinde altera, mox tertia, & sic deinceps: v. g. intemperies, quæ habeat causam coniunctam, antecedentem, & procatarticam, postulat, vt primò procatartica tollatur, mox antecedens, demum coniuncta: sed hæc series non semper obseruatur, vt in casu proposito.

De

De Curanda Occulta Intemperie Memb. 3.

IAm verò cum morbi in intemperie siti, non solùm simplices, compositas, atque cum materia coniunctas complectantur intemperies, sed etiam eas, quæ occultæ sunt, quæque totius substantiæ dicuntur; ordinis ratio postulat, vt de malignorum morborum curatione, qui ex hisce intemperiebus seu qualitatibus occultis nascuntur, agamus. Illud in omnibus his morbis commune est, vt qualitas illa occulta ac venenata proprio alexipharmaco casu inuencto retundatur, dometur, aboleatur. Deinde vt cor, cui venenum peculiariter inimicum est, roboretur, muniatur, &, vt fieri potest, alexipharmaco obualletur. Tertiò vt materia, cui venenata qualitas inhæret (non enim sine materia est qualitas illa a tota substantia naturæ inimica, sed cum primum in corpus irrepsit, materię, hoc est, humoribus pręcipuè adhęrescit) euacuetur. At verò cum venenum ac deleteria qualitas vel intus gingatur, vel extrinsecus assumatur, in intrinsecus genito summoperè insistendum est, vt partes insigni ac maligna discrasia laborantes proprio restituantur temperamento, euacuetur materia, cui commista est praua illa qua-

qualitas, vt alexipharmaco maximè appo-
sito retundatur, aboleatur: de quibus suo
loco agemus. Si verò extrinsecus aduenias
venenum, vel inspiratur per aërem, & ita
ijs opus est, quæ a centro ad circumferen-
tiam pellunt humores, vt sunt sudorifera.
Si verò assumatur per os, deiectione
opus est, vel vomitione, naturæ id pro-
pensione indicante. Si ictu inferatur attra-
hentia sunt ex vsu, quæ venenum euocare
ex vulnerata parte apta sunt, vt cucurbi-
tulæ, sinapismi, vesicantia, eaque omnia,
quæ calore possunt attrahere atque euo-
care materiam ad peripheriam: ideòque
adhibemus pipiones, pullos gallinaceos
deplumatos in podice, appositosq; statim
atque cęsi sunt in ea parte; item pulmones
calentes cuiusuis animalis, theriaca cete-
raque huiusmodi, quæ & calore possunt
attrahere & vehementi auctaq; qualitate
retundere, vt cępa, allium, nitrum, nastu-
rium, alia; & demum a proprietate vene-
num nęcare, vt appositia alexiteria.

De Curandis Partium Instrumentalium Morbis Siue de Corrigenda Structura Vitiata Cap. 3.

STructuræ morbi (cõpositionis & con-
formationis aliqui appellant) quadru-
plices

plices esse diximus lib. 2. sect. 1. cap. 2. memb. 2. nempe Figuræ, Numeri, Magnitudinis, & Situs. Horum verò omnium curādorum methodus hic breuiter ac perspicuè a nobis tradetur.

De Morbis Figuræ Vitiatæ Curandis Memb. 1.

EOrum quidem, qui in vitiata figura siti sunt *scopus est in contrarium peruersionis membrum adducere*, vt ait Gal. cap. 93. Artis Med. ergo eò spectare debet medicus, vt distortam v. g. membri figuram eò vsque adducat, quò naturaliter adduci debet. In hoc verò præstando duas Galenus iniri vias præcipit loco citato, primam alligatione, alteram formatione. si enim exempli gratia distortũ sit crus, emendari potest formatione quidem in recenter natis ac infantulis, paulatim nimirũ ac blandè contrectando membrum, leuiter flectẽdo ac sæpius in die, vt os veluti assuescat in contrariam partem inclinare. Alligatione verò in paulò grandioribus: nam ferulis, fascijs, alijsq; vinculis & instrumentis partibus vitiatæ figuræ adligatis, & firmiter adhærescentibus temporis diuturnitate emendantur vitiatæ figuræ, crus distortũ, hu-

humeri eleuatio, thoracis eminentia, ceteraq; huiusmodi. perennè enim instrumentum illud partis vitiosæ incumbens cogit & quod eminet subsidere, & eleuari quod præssum erat: & quod in contrariam partem vergebat, flectere in aliam, vt naturæ ordo postulat. Illud animaduertendum est, quod a Gal. traditur loco citato Artis Med. figuræ deprauatæ curationem suscipiendam esse in ijs, qui corrigi possunt. *Quod verò*, inquit, *ad figuræ permutationem pertinet, in ijs sanè, qui adhuc crescunt possibile est plurimarum partium peruersionem corrigere, in ijs autem qui iam sunt aucti, minimè*. Hoc de ea vitiata figura intelligēdum est, quæ & in ossibus sita est, & ab ortu naturæ fuit contracta: nam quæ in alijs partibus sita est vitiata figura etiā in adultis emendatur, quippe teneris ac mollioribus. Imò verò & in ossibus, si aduenticia sit figura vitiata, vt euenit in luxationibus, ac fracturis ossium, quæ restituuntur etiam in ijs qui iam adoleuerunt.

Ad morbum in forma vitiata quodammodo pertinere suo loco diximus Meatuū obstructiones, & Cutis siue superficiei asperitatem ac læuitatem. Obstructionem quidem curandam docet Gal. cap. 94. Artis Med. vnica præcipua sumpta indicatione, quæ Apertio est. Et sanè meritissimò. cum enim contraria contrarijs curentur, profectò obstructio apertione curanda

Ve-

Verùm quia obstructio in pluribus esse potest corporis partibus, & a causis pluribus, apertio etiá pluribus modis fieri posse consentaneum est. Ergo si obstructio fiat in venis, hepate, liene, pulmone, ceteriſq; huiusmodi partibus, a crassis lentisque humoribus, Apertio erit per *abstergentia & incidentia medicamenta*, vt ait Gal. *Quæ verò fit ab stercore duro interſepiente intestinum, primùm quidem habebit duritiei remedium ex humidis pinguibusque clysteribus, postea verò ab acribus euacuationem expoſcet:* cui certè medendi methodo nos salubriter fomenta abdomini addimus, quæ laxent, humectét, emolliant, liquent exiccatas induratasque fæces & inteſtina calore coarctata exuccaque atque contracta. *Quæ in pulmonibus vel pectore continentur, educuntur quidem per tuſſim, ſed a medicamentis extenuantibus*: addimus etiam ea, quę lenire vias, vt hordeacea, saccharacea, aliaque, quæ Eclemata dicuntur: addimus & quæ thoracis musculos laxare possunt, & quodammodò thotacē dilatare & aperire, vt faciliùs & musculi tendantur, & dilatetur thorax. *Quæ verò in hepate vel venis, vel arterijs, vel renibus, aut per vrinam, aut per inferiorem ventrem: & per vrinam quidem ab eis, quæ vehementer extenuant; per ventrem verò ab eis, quæ attrahendi atq; aperiendi ora vim habent.* In his omnibus modus esse debet, vt scilicet a mitioribus primò incipiamus diureticis,

cis, mox paulatim ad fortiora aſcēdamus. nam ſi primo ſumamus fortiora, liquarentur ſtatim humores & per vrinæ vias non reperent, aut ſi reperent, nimis confertim, & repente, ac proinde noxiè. Addit demū Gal. vniuerſale theorema ab Hippocr. depromptum, *Quæcumque in ſuperiori ventre comprehenduntur per vomitum; ſicut quæ in inferiori per ſubductionem* euacuanda eſſe: *At quæcunque ſub cute, per ſectionem, vel ignem, vel adurentia medicamenta. Sic aliquando etiam quæcunque in aliqua naturali cauitate, vt in thorace.* Demum ſubiungit Gal. duo ſcitu digniſſima, *In ſumma quicquid præter naturam alicubi continetur, ſcopus in his ablatio eſt, vel, ſi hæc fieri non poſſit, tranſpoſitio. Quæ verò non ſunt ex genere præter naturam, ſed quantitate damnantur, in his ſcopus detractio exiſtit.* Quæ obſtruunt duplicia ſunt: vel enim toto genere ſunt præter naturam, hoc eſt, nullo modo ſecundum naturæ leges ibi conſiſtere, & adhæreſcere deberent, vt grumus ſanguinis, lapis, pus, ſimilia; & hæc omnino euacuanda, aut, ſi id fieri non poteſt, aliò tranſponenda, vt lapis in vretere in veſicam extrudendus. Vel quantitate ſolùm obſtructiones pariunt, & hæc ex parte demenda. Obſtructiones verò aliarum partium alibi curentur. non enim hìc praxim integram, ſed ſolam methodum vniuerſalem, ex qua particulares dirigantur innuimus.

Ad

Ad obstructiones spectare videtur Coalescentia, Constipatio, Compressio, & Subsidentia. nam omnia quædam veluti obstructiones videntur esse. Coalescentia est cum latera meatus concidunt, seseque mutuò tangunt atque adhæresçunt, actionemq; proinde lædunt, vel attractionem, vel expulsionem, vel quamuis aliam. Huius curatio, sine curationis scopus est latera attollere, & si vnita fuerint, separare, vt attolli possint, atque pristinam cauitatem efformare: idque medicamentis præstari debet, quæ soluant cohærentiam ac cicatricem. Constipatio & ipsa meatuum & cauitatum est quædam obstructio, inuecta a tumore aliquo ibi subcrescente, tuberberculo, caruncula ceterisque huiusmodi. Scopus est causam constipantem, quę præter naturam in cauitate inhæret, auellere ijs medicamentis, quæ cuique causæ oportuna propriaque sunt, vt tumorem ac tuberculum coquentibus, caruunculam absumentibus & auellentibus. Compressione etiam obstruuntur meatus, cum eorum latera compressa subsideant, mutuoque tangantur. Scopus est, causam comprimentem amouere, siue externa sit, siue interna, tumor, articulus luxatione e proprio loco absessus, siue quiduis aliud. Subsidentia demum a nimium laxantibus, & humectantibus nascitur, cuius causa latera cauitatis ac meatus concidunt mutuoq;

tuoque adhæreſcunt. Scopus eſſe debet exiccare, contrahere, ac roborare.

Iam verò ad primum hoc organicorum morborum genus non ſolùm vitiatam formam, obſtructioneſque quæ meatuum morbi ſunt; ſed etiam læuitates ac aſperitates, quæ ſuperficiem vitiant, ſpectare videntur. Has Gal. cap. 95. Artis Med. pluribus tractat. Si ergo aſperitatis ac læuitatis curationem ex arte inire & aggredi cupimus, eius cauſas explorare neceſſe eſt. Aſperitatis duplex cauſa eſt, vt optimè notat Senner. vel addens ſuperficiei, vel detrahens: illud attollit ſuperficiem, hoc deprimit: illud humor quiuis ſuperuacaneus partibus inſidens eſſe poteſt: hoc acris, mordax, & exedens, quod partem ſuperficiemque erodat, excauet, deprimatque. Illius ſcopus eſt ſuperuacaneum humorem euacuare, aut, vt propriùs loquitur Gal. detrahere. Euacuatur autem aut detrahitur vel *Retrocedens, vel Per ipſam partem*. Retrocedet autem vel impulſa, vel attracta, vel tranſmiſſa materia morbifica. Per locum verò patiẽtem euacuabitur partim quidem ſenſibiliter, partim inſenſibiliter, nempe in vapores reſoluta. Retroceſſio repellentibus fit, ijs nimirum, quæ adſtringunt & refrigerant: fit attrahentibus nempe ijs, quæ calefaciunt inſigniter, exulcerant, dolorem inducunt, & euacuant, vacuumque reddunt alium locum. hæc enim om-

omnia materiam attrahunt ab vna in aliam partem. demũ retroceſſio fit tranſmiſſione, cum materia a parte affecta ad aliam per metaſtaſim trãſponitur. At verò *Per ipſam partem* euacuatur humor aut ſenſibiliter ſectione, vſtioneq; aperto loco affecto; aut inſenſibiliter, per medicamẽta attenuantia, ac diſſipentia attrito, tenuato, exhalatoque humore. Illud tamen in omnibus hiſce præſtandis animaduertendum eſt, ſi corpus humoribus ſcateat, nihil ex his tentandum eſſe, niſi prius totum euacuetur corpus. alioqui enim neque humor repelli poteſt a parte affecta ad alias, quia hæ humore turgentes non admittunt aduenam humorem; neque attrahi, neque tranſmitti propter eamdem rationẽ. Imò neque euacuationem tentare tutò poſſumus, quia plus materiæ attrahimus ad affectum locum e ceteris corporis partibus, quàm inde euacuemus. Contra verò prius euacuato corpore. nam quodlibet ex his feliciùs contingit.

Quod verò facit ad contrariam Læuitatem, contrarium habet ſcopũ, contrariam ea cauſam nacta. Cauſa eſt humor lentus craſſuſque, ex Galeno cap. 95. Artis Med. qui ſuperficiei inæqualitatem naturalem tollit replens rugas illas, ſiue potius depreſſas ſuperficiei partes. Id autem corrigitur *Medicamentis, quæ ſufficienter abſtergant, adſtringantque parum*, vt ait Gal.

De

De Numeri Curandis Morbis Memb. 2.

IN numeri morbis quid ars, quid natura possit facilè innoteſcit. Duplex numeri morbus, alter deficiens, alter abundans. deficientis indicatio reparatio eſt, ab ſola natura perficienda: abundantis verò reſecatio eſt ſcopus, ab arte ſolùm præſtanda. In ijs, quæ natura præſtat, ars miniſtra eſſe poteſt & adiutrix, in his verò quæ ab arte, ferè inutilis eſt naturæ conatus & auxilium. Itaque ſicuti in dente reparando medicus auxiliares manus præbere poteſt, in carne, in cute, in ceteris, impedimenta ſaltem amouens & arcens, naturalem calorem fouens, ſpiritus reficiens, alimentum idoneum ſuppeditans &c. ita natura in auellendo, quod abundat, plerumq; impotens eſt, & ſolius medici opera abſoluitur, vt ſextum digitum reſcindere. Illud tamen omni laude & admiratione dignũ prætereundum non eſt: eò *Mortalis progreſſa potẽtia cura*, vt Claudiani verbis vtar, vt ars in ſacram naturæ meſſem falcem inijcere ſit auſa, & quæ a natura patrari nequeunt, audacter ſit aggreſſa: Naſum auulſum ex propria alienaque carne ars reſtituit, ac refecit ad miraculum vſque,

vt

vt etiam nos ex Taliacotio, mirabilis huius chirurgiæ auctore ac principe, in *Dissertatione de Vnguento Armario*, qua eã a superstitione vindicauimus, testati sumus. Cetertim ea sunt in morborum numeri curatione memoria tenenda, a Gal. loco citato animaduersa, *Quibus aliqua particula deficit, in ijs quidem scopus est efficere alteram, subministrando naturæ eo quo diximus modo. Quibus autem redundat, hanc resecare oportet, aut scalpello, aut igne, aut caustico medicamento. At verò quædam sunt quæ etsi generari restituique non possint, pro ipsis tamen licet alteram substituere: vt osse ex toto sublato quendam carnosum callum inducimus, qui processu temporis durescit. Vbi verò parte sublata neq; eamdem secundum speciem substantiam, neque similem efficere possumus, tertius nobis scopus est, inuenire decorem quendam, vt in mutilationibus.*

De Curandis Magnitudinis Morbis Memb. 3.

NVmeri morbis ij, qui in magnitudine consistunt, affines sunt atque cognati. siue enim auctam spectes magnitudinem, siue imminutam, abundanti vel deficienti numero proportione respõdere in-

intelliges. Iurè igitur nos, Galenũ sequuti cap. 97. Artis Med. post numeri morbos, eos qui magnitudinis esse dicuntur, curandos suscipimus. In magnitudine verò excedente scopus est Imminutio, in imminuta Auctio. At verò aucta magnitudo vel totius corporis est, vel alicuius partis. Si sit totius corporis, ea, qnæ a Gal. proposita sunt, medicamenta oportuna esse nequeunt. nam, eũ in aucta magnitudine eadem laudet medicamenta, quæ in abundanti numero, sectionem, vstionem, erosionem, ceteraque huiusmodi in vniuersali aucta magnitudine, ea oportuna esse non possunt. Igitur indicatio erit imminuere vniuersalem magnitudinem tum per ea, quæ exiguum præbent nutrimentum, tum per ea, quæ carnosam molem (nam totum corpus in nimiam noxiamque actionibus obeundis magnitudinem excrescit præcipuè, quia carnea moles augeatur) extenuant, digerunt, absumuntque. Igitur tenuissima præscribẽda est diæta, attenuans, & exsiccans. in omnibus sex rebus non naturalibus, vt labor, vigilia, inędia, aliaque gracilibus inimica amica pinguibus. Medicamentis vtendum discutientibus, asperis frictionibus, inunctionibus resoluentibus, & alijs, quæ suo loco proponentur. Si verò particularis sit auctio magnitudinis, aliqua nimirum pars sit aucta præter naturæ modum, actioq; proinde læ datur,

vi-

videndum, an tota pars, eodem modo, quo totum corpus, sit aucta: & sic ijsdem opus est medicamentis, eadem existente indicatione. Si verò secundum partem membrum sit auctum, & sic tumor erit excitatus præter naturam, morbusque natus in magnitudine aucta. Scopus vniuersalis est magnitudinem auctam imminuere. Ergo materia in parte hærēte euacuanda, & prohibenda, quę potest eodèm fluere. Euacuatur autem hærens aut sensibiliter, aut insensibiliter. illud sectione & alia quauis apertione præstatur, per quam effluat materia in parte hærente. Insensibiliter verò emollientibus primò, si opus erit, medicamentis tentatur, deinde rarefacientibus, discutientibus, resoluentibus, ijs nempe medicamentis, quæ cutis poros aperire possunt, materiam attenuare & in vaporem resoluere. Quæ verò fluere potest ad partem materia, tumoremque augere, reuellentibus opus habet, repellentibus, intercipientibus si actu fluat. Reuulsio fit ad contrarias partes materiam trahendo, aut frictionibus, aut cucurbitulis, aut phlebotomia, aut cauterio, aut vesicatorio, aut quouis alio, quod materiam accersire possit ad contrarium locum. Repulsio fit refrigerantibus, & adstringentibus medicamentis. Ergo vt reuulsio præstatur in parte effectæ contraria, sic repulsio in eadem affecta parte adhibetur im-

poniturque ipsi parti. Interceptio verò medio quodam modo se habet: neque in contraria parte, neque in eadem adhibetur, sed in intermedia, vt manu tumore pressa, interceptio tentatur in eodem brachio per medicamenta adstringétia; constipantia atque corrugantia; de quibus omnibus suo loco agemus.

Imminuta verò magnitudo augescendi scopum habet. hęc siue vniuersalis sit, siue particularis, ea desiderat, quæ copiosius alimétum aduocant ac tribuunt. Vberiori igitur opus est alimento, ceteriſque sex rebus non naturalibus, quæ contrariæ magnitudini oportuna esse superiùs diximus, nempe quæ & tribuere, & aduocare allicereque ad imminutas emaciatas & atrophia laborantes partes possunt alimétum, vt moderata exercitatio, somnus mediocris, aut paulò longior, temperatę frictiones, tepidiuscula balnea, inunctiones a frictione ac balneo, ac demum dropax seu picatio: de quibus suo loco agemus.

De Morbis in Situ Curandis Memb. 4.

QVi in situ consistunt morbi, ferè luxationes sunt, quæ proprię articulorum sunt, cum e suamet sede excesse-

ceſſerint. Inteſtina etiam cum peritoneo rupto in ſcrotum deſcendunt, morbum pariunt in ſitu; item vterus, & inteſtinum rectum prolapſa. Scopum verò habent repoſitionem in priſtinum naturalemque locum. Hoc (de luxatis loquor) vel manu fit, & palæſtrica dicitur curandi ratio, ex eo quod in palæſta in more id poſitum fuerit, cum luctatorũ aliquis aliquo membro luxaretur: vel inſtrumentis ad hanc rem accomodatis, vt faſcijs, laqueis, ſcalis, machiniſq; permultis, quę ab Hippoc. vſque temporibus in vſu poſita fuerunt: quæ quidem ratio dicitur medica non quidem quod illa medica non ſit, ſed quia a non medicis vſurpari conſueuit. Iam verò, vt mira breuitate ac perſpicuitate tradit Fabric. ab Aquapend., quatuor ſpectanda ſunt in quauis luxatione curanda mẽbri *Extentio, Repoſitio, Deligatio, Collocatio.* Et ſanè primò extẽdere oportet membrum, quia luxatione muſculi contrahunt os prolapſum, & membrum breuius reddunt. Deinde reponere in proprium locũ, quod eſt præcipua indicatio & ſcopus medici. Repoſitum autem Deligare neceſſe eſt, ne e proprio iterum exſcedat loco. Demum Collocare oportet appoſitè, vt ne flectatur, aut quouis alio modo dimoueatur, ac proinde dolor excitetur & inflammatio. Hæc autem, vt quęcunque alia ad morbos in ſitu ſpectãt, a Chirurgis

petenda sunt, præsertim verò ab summo Hippocrate, Galeno, Celso, Aquapendente, Guidone, Fallopio, ceteris nobilissimis Chirurgis.

De Morbis Solutæ Vnitatis Curandis Cap. 4.

QVemadmodum in ijs morbis, qui in superuacaneo numero siti sunt, præcipuam curandi rationem sibi artem, non naturam, vendicare superiùs intelleximus; ita hic planè innotescet, naturam plurimum, artem verò minimum eniti, & curationē absoluere. verè hinc constat, verum esse quod ab Hippocrate dictum est, Νούσων φύσιες ἰητροὶ, *Morborum natura medici*. Cum enim solutæ vnitatis curatio vnicum habeat scopum, Vnire disiunctas partes, hoc a natura fieri potest, a medico verò nequaquam. Etenim siue Vulnera spectes, siue vlcera, siue quemuis alium, a nobis solutæ vnitatis morbum, memb. 3. cap. 2. sect. 1. lib. 2. descriptum, intelliges, naturam esse, quæ opus absoluit, vnit nempe glutinatque dissita partis labra. Neque verò putes planè ociari medicinam, & inutilem planè esse. nam & ipsa naturæ, vt eius propriū est, auxiliares præ-

præbet manus. Ergo cum ſcopus in ſoluta vnitate ſit Vnire, neceſſe eſt, vt impedimenta amoueantur: illud ſolius naturę eſt, hoc ſolius artis. itaq; ſicuti præcipuus ſcopus, qui eſt vuire, naturæ debetur; ita minùs principalis, qui eſt amouere impedimenta, arti tribuitur. Et vt res ſit manifeſta, vulnus in exemplum ſumamus. in hoc curando omnes præcipiunt & Chirurgi & Medici primò, vt ſi quid interceptum eſt in vulnere, ſiue grumus ſanguinis, vt plerumq; ſolet, ſiue quoduis aliud, extrahatur, emundetur vulnus, ſanguiſq; iam effuſus abſtergatur: deinde, vt diſſita labra manu adducantur; tertiò adducta ligẽtur faſcia, ne rurſus deducãtur; quartò ſubcreſcentes ſordes excrementaque abſtergantur (nam cum ex ſanguine regeneratur caro, neceſſe eſt multa ſequantur excrementa, quippe carnis generatio coctio quædam ſit) quintò fluxio humorum, dolor, calor & inflammatio, ceteraque, quæ vulneri accidere ſolent, auertantur. ſextò partis temperamentũ conſeruetur, aut reſtituatur. Demum vt inducatur cicatrix. Hęc omnia, ſi ex arte præſtentur, Vnio neceſſario ſequitur: quæ ſolius naturæ eſt, ſicuti cetera omnia ſolius artis. Haud abſimili modo ceteræ continui ſolutiones ſeſe habent: in omnibus natura patrat opus, medicus impedimenta amouet: per amouere autem non ſolùm intelligimus, quod

adeſt, detrahere; ſed etiam, quod abeſt, addere, vt auferre grumum, teli partem, pilaue, & vnguenta faſciaſque adiungere.

De Curandorum Symptomatum Ratione Cap. 5.

QVamquam Symptomata, cum de Pathologia ageremus, diuerſa a nobis Sectione explicata ſunt, in Therapeutica tamen eadem comprehenduntur: nec, vt opinor, præter ordinem & methodum, quia ſicuti neceſſe erat ea diſtinctiùs nouiſſe, ac diuerſa a morbis tractatione explicare; ita vix diuerſam a morborum curationem, medendique methodum deſiderant. Itaq; eadem ſect. vnoque capite omnia ſymptomata comprehendentur. Cum igitur Symptoma morbum, vt vmbra corpus, ſequatur, id præcipuè poſtulat, vt morbus e medio tollatur, quò ipſũ aboleri poſſit. Itaq; de ſingulis ſymptomatũ ſpeciebus curandis hìc ſingillatim agere ferè ſuperuacaneum: vnaquæque enim ſpecies eundem habet ſcopum, morbum tollere. Verùm quia non ſemper expectare conducit, dum morbus curetur, vt ſymptoma auferatur, cum aliquando adeò vrgeat eius vis, vt mor-

mortem ipsam minetur; ideò, posthabito quandoque morbo, ad symptoma curandum conuertere animum debemus. Quæ verò vrgent, maximèque negotium facessunt, ac propterea cogunt medicum, primarium curadi scopum negligere, ea ferè sunt, quæ a doctissimo Sennerto recensentur, Dolor, Vigilia, Sitis, Diarrhæa, Hęmorrhagia, Lipothymia. hæc enim adeò quandoque vrgent, percelluntque corpus, vt nisi læniantur, ægros manifestè perdant.

Dolor cum sit passio seu affectio sensus tactus (*est enim dolor tristis sensatio*, vt communis fert opinio) necesse est, vt in parte dolente fiat perceptio obiecti tangibilis dolorifici, atq; adeò anima ipsa, sensus ve communis adsit, aduertatque huiusmodi sensationem: alioqui enim dolor non percipitur: vnde Hippocrates *Qui aliqua corporis parte dolentes ferè dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat*. Tres igitur viæ iniri possunt, vt, manente morbo doloris causa, dolor aut tollatur, aut leniatur: prima vt in dolentem partem contraria sensatio, iucunda scilicet, inducatur; altera vt sentiẽdi vis obtundatur; tertia vt anima aliò auertatur, ac nouis phantasia sensusue communis obducatur speciebus. Inducitur autem iucunda in dolentem partem sensatio per *Anodina*. cum enim hæc valdè temperatæ sint, maximè amica sunt naturæ, ac proinde hæc veluti oblectatur eorũ consortio

atque demulcitur. Obtunditur autem vis sentiendi per ea, quæ *Narcotica* dicuntur, seu stupefacientia. hæc enim nimio, quo pollent, frigore necant spiritus, caloremque, ac proinde sentiendi, quæ per spiritus & calorem in parte sentiente viget, obtunditur vel aboletur. Quantum verò possit, animam a dolore aliò auocare, ego, cum hæc scribo, re doctus intelligo, & experientia disco. vehementi enim præssus capitis dolore, dolorem hæc scribens non sentio, huc nempe anima intenta: & tantùm abest, vt, cum animum ad scribēdum appello, accrescatur dolor, vt sēsim potius extenuetur & veluti contabescat. Neque verò id semel experior: nam a tribus hebdomadibus huius quintilis mensis, in quibus hæc scribo, ferè semper capitis dolore laboraui, ac ferè semper a scribendo meditandoq; dolori medicinam quæsiui. Opportuna itaque sunt doloribus ea omnia, quæ animum a dolore auertere possunt, maximè verò iucunda, vt musica, amenarum rerum aspectio, amicorum colloquia, litteratorum consuetudo, & aliorum, quibus oblectari consueuit animus. Ex his patet, quatuor esse doloris læniendi extenuandique rationes, primam per ablationē causæ, quæ vera est & propria curandi ratio; alteram per anodina, tertiam per narcotica, quartam addimus per auocationem animæ ad alia obiecta.

Vi-

Vigilia verò non secus ferè, ac dolor quandoque facessit ægro negotium. Cum igitur vehementiùs vrget, ea indicat vsurpanda, quæ somnum accersunt. hæc sunt, *Quæ quietem sanguini præbent*, vt ait Hippocrates, tunc enim vigilat animal, cum anima eiusque sensus exercentur: exercentur autem sanguine spirituq; commotis, actis, & in sensuum organa irrepentibus. itaque cum spiritus ac sanguis, cui spiritus insunt, quiescit, non influit in organa sensuum; ac proinde anima non operatur neque eius sensus, vnde fit, vt somnus irrepat. Quarè iureoptimò dictum est a Plinio, *Est somnus nihil aliud, quàm animi in medium sese recessus.* recedit quidem animus in medium, hoc est, eius potentiæ quasi retrahuntur ab operationibus externisque sensibus, cum ferientur. Id etiam facilè innotescit, quod a Zenone apud Ciceronem dictum est, *Contrahi animum Zeno, & quasi labi putat, atque concidere, & ipsum esse dormire.* Sed vt vt est, præter nostrum institutũ est, quod eò spectat, vt somnum cõciliantia tradat. Vniuersalis scopus est, sanguini quietem præbere, cum ex Hippocrate hoc ipso, quod sanguis spirituque quiescant, somnus aduocetur. Quiescunt autem per ea, quæ frigida humidaque sunt, & vi peculiari moto sanguini quietem ac torporem inducunt. Quiescunt etiam per ea, (præsertim verò si de morbificis vigilijs loquamur)

mur) quæ causas abigunt, vt dolorem, acres calidosq; vapores exhalationes ve, & si quæ sunt huiusmodi. Peculiaria verò soporifera hìc adscribenda non sunt, sed methodum tantùm, cui incumbimus: ea verò tradentur inferiùs, cum de Pharmaciæ parte alterante agemus.

Sitis humida frigidaque adhibenda indicat. *est enim frigidi humidique appetitus*, sitque a calida siccaque intemperie. Igitur frigidæ potu opus est, vt verè tollatur. demulcitur autem fucatis quibusdam medicamentis, quæ causa non tollunt, sed symptoma solùm læniunt, vt apud Hippocr. 6. Epid. *Silere, os claudere, frigidum inspirare*: huc spectant ablutiones, ceteraque vel tonsoribus nota.

Diarrhæa contrarium humoris motum, vel potius quietem indicat: compescenda est, si fieri potest, medicamentis quæ humorum motus prohibeant, locumque affectum, oraque venarum claudant: vel si id fieri nequit, in contrariam partem reuellendi sunt humores & per vomitum educendi, aut per vicina deriuandi medicamentis diureticis.

Eodem ferè collimare debemus in sanguinis fluxu compescendo. Scopus est sanguinem retrahere, ne fluat ad apertum locùm reuellendo, repellendoque; & apertum locum claudere, ne, etiamsi eò adhuc fluat, exire possit; cui scopo empla-

plastica crassa lentaque adiumento sunt.

Lipothymia aut reficientes, aut reuocantes spiritus postulat: hoc est, aut ea desiderat, quæ abolitos reficiat spiritus, aut quæ dissipatos colligat reuocetque ad propriam sedem. Illa sunt optima alimenta, vinum generosum, odores suaues. Hęc quæ causam dissipantem tollunt, quæque reprimunt a periferia ad centrum, repelluntque palantes, & a suis sedibus diuulsos. Hæc paucula dixerim de Symptomatibus, vt hinc coniectare tyro possit, qua via ad cetera eundum.

SECTIO SECVNDA

De Tribus Medicinæ Instrumentis.

INcassum egerim, si vniuersalem solùm medendi rationem tradiderim, eaque tantùm innuerim, quæ facienda sunt, nisi & ea, per quæ illa sunt facienda, adiungerem. Itaque in hac secunda sectione de triplici medicinæ instrumento, quo scopum in prima sectione propositum attingere possimus, agendum erit. ergo in primo capite de Pharmacia, in altero de Chirurgia, ni tertio de Diæta agemus. Cum verò pharmacia duo suppeditet medicamentorum genera, Alterans & Euacuans, in duo etiam membra, ijs respondentia, illud cap. partiemur, in primo nempe de Alterantibus, in altero de Purgantibus agentes. Caput verò de Chirurgia non omnia ad chirurgiam pertinentia compræhendet, sed ea maximè, quæ ad clinicum medicum spectant. igitur deligationibus, ossium repositionibus, partium sectionibus, vstionibus, ceterisque huiusmodi, aut prætermissis, aut leuiter delibatis, de sanguinis missione, quę ad Clinicum ma-

maximè spectat, vberiùs ac distinctiùs agemus. Demum trademus in vltimo capite Victus rationem, & ita vniuersam therapeuticam absoluemus.

De Pharmacia Cap. 1.

QVæ ad pharmaciam spectant medicamenta, Alterantia esse diximus, & Euacuantia: illa multiplicia sunt: aliqua enim primis maximè qualitatibus alterant, ac proinde aut partes, aut humores calefaciunt, frigefaciunt, humectant, aut siccant. Alia verò secundis præcipuè, aut alijs qualitatibus agunt: quæ quidem multiplicia sunt, emollientia, indurantia; attenuantia, incrassantia; rarefacientia, constipantia seu condensantia; repellentia, attrahentia; adde roborantia, abstergentia, incidentia, aperientia, maturantia, discutientia, glutinantia; Carnem generantia, cicatricem inducentia, dolorem sedantia, somnum conciliantia, vires reficientia, & alia, de quibus singillatim breuiterque inferiùs agendum. Quod verò ad purgantia spectat, hæc vel per aluum, vel per vomitum, vrinam, sudorem, tussim expurgant euacuantque, vt non multò post videbimus.

De

De Alterantibus Memb. 1.

IN alterantibus medicamentis tradendis hunc seruabimus ordinem: primò enarrabimus ea, quæ aut temperata, aut calida, frigida, humida, siccaque sunt: deinde ea, quæ certis ac determinatis partibus talia sunt, vt capiti, stomacho, hepati, ceteris: & simul ea, quæ determinatis humoribus, vt bili, pituitæ, melancholiæ &c.: tertiò ea tradam, quæ extrinsecus præcipuè adhibentur, licet pleraque etiam intrinsecus assumi possint, vt emollientia, indurantia, ceteraque superius dicta.

Medicamenta Temperata.

Illud hic in memoriam reuocare debemus, quod cap. 3. nostrarum Exercitationum de sero lactis dictum est, medicamenta non esse secundum se statuenda calida aut frigida humida vel sicca, sed respectu nostri corporis. quarè calida dicenda sunt v. g. in secundo gradu, non quæ ex se talia sunt, sed quæ nostro corpori talem caloris gradū tribuere possunt. cicuta frigida est nostro corpori in quarto sum-

mo-

moque gradu, ſturno verò ferè temperata cum eos nutriat : hordeum frigidum eſt nobis, equo ſatis calidum, cum maximè caleſcant ab eius vſu. Quæ igitur medicamenta noſtro corpori tẽperata ſunt, multa referuntur a Vuechero, Renodęo, ceteris, quibus curæ fuit hæc in ordinem redigere. Omnia eiuſmodi ſunt, vt mediocre temperamentum nacta ſint, quo homini planè amica ſimiliaq; videantur, nulla qualitate eum manifeſtè afficiens, ſed talem conſeruans qualem inuenerit. hæc ſunt adiantũ, aſparagus, dactili, faba, ficus, gummi elemi, glycirrhiza, iuiubæ, lini ſemen, nuclei pini, oleum dulce, pinguedines ſuillæ, vitulinæ, caprinæ tragacanthum, cetera nonnulla.

Medicamenta Calida in primo gradu.

Quomodò medicamentorum gradus definiantur diximus cap. 3. Exercitationum de Sero Lactis: Si maximè, aut perniciosè medicamentum hominẽ calefaciat, quarto gradu ſummèque calidum ſtatuetur. Si verò impensè quidem, ſed tamen citra aut perniciem, aut magnam læſionẽ, ordine tertio. At ſi planè quidem innoxiè, perſpicuè tamen & omnino manifeſtè, ordine ſecundo. Si demum penitus infirmè obſcurèque, primo gradu calidum exiſtima-

Digitized by Google

mabitur. Itaque ea quæ censentur in primo gradu calida sunt, quæ & infirmè, & obscurè calefaciunt: huiusmodi sunt, vt ordine valdè appositò ex Vuechero ceteriſque describit Sennertus.

Ex foliis & herbis Althæa (caue absinthium in horum numerum referas) borago, bugloſſum, beta, braſſica, chamæmelum, eupatorium, fumaria, melilotus, ſcolopendrium, ſpica nardi, tuſſilago.

Ex floribus boraginis, bugloſſi, bettonicæ, chamæmeli, meliloti, populi nigræ.

Ex fructibus amigdalæ dulces, caſtaneæ, mora matura, poma dulcia, nuces iuglandes, cupreſſi virides, vuæ maturæ.

Ex seminibus coriandri, lini, lupini, ſeſami, orizæ.

Ex radicibus althæa, brancæ vrſinæ, betæ, bugloſſi, glycirrhizæ, ſatyrij.

Ex corticibus macis, tamariſci.

Ex liquoribus, ſuccis, & gummis ſaccharum, bdellium, laudanum, gummi hederę.

Calida in ſecundo gradu.

Quæ manifeſtè quidem, non tamen vehementer calefaciunt medicamenta, in ſecundo gradu calida cenſentur: huiuſmodi ſunt.

Ex herbis & foliis anethum viride, angelica, apium, arthemiſia, bettonica, calamus

mus odoratus, chamepitis, fœnum græcum, hypericum, hedera, lupulus, melissa, marrubium, matricaria, pimpinella, rosmarinus, satureia, scabiosa, saluia, scordium, stoechas, aliaque a Vuechero allata.

Ex floribus amomi, croci, caryophyllorum, schaenanthum, lauendulæ, lupuli, melissæ, rosmarini.

Ex fructibus, capparis, nux muscata, apij, pistacia, ficus siccæ, nuces siccæ.

Ex seminibus, anethi, apij, citri, erucæ, oribi, ocymi, vrticæ.

Ex radicibus, apij, capparum, pimpinellæ, napi, zedoariæ, aliæque a Sennerto descriptæ.

Ex corticibus cassia lignea, thuris, cinnamomi aliqui inter secundo gradu calida, alij inter tertio recensent.

Ex liquoribus gummis ac rasinis &c. vinum, balsamum, mel, ladanum, aloë, galbanum, mastiche, myrrha, thus, pix arida, rasina, styrax.

Ex adipe leonis, vrsi, pardi, vulpis.

Calida in tertio gradu.

Ea verò medicamenta, quæ vehementer calefaciunt, non tamen perniciosè, calida in tertio esse habentur, vt

Ex herbis & folijs asarum, agnus castus,

arum, amomum, anethum ſiccum, dictamum, caryophyllata, chamædrys, cartamum, ſeu cnicus tantopere ab Hippocrate laudatus, centauria vtraque maius & minus, chelydonium, calamintha, mentaſtrum, fęniculum, epithymum, iuniperus, helenium, hyſſopus, laurus, maiorana, mentha, nigella, origanum petroſelinum, pulegium reſtabouis, ruta, ſabina, ſerpillum, thimum, trifolium, vrtica.

Ex floribus agni caſti, epithymi, leucoion, periclymeni.

Ex fructibus, baccę iuniperi, caryophylli, carpobalſamū, anacardia, piper nigrum (nam album calidius eſt item & longum.)

Ex ſeminibus ammi, amomi, aniſi, cartami, cardamomi, fœniculi, cumini, dauci, nigellæ, napi, petroſelini, ſeſelios, ſtaphidis, viticis.

Ex radicibus aſari, ari, ſcillæ, dictami, fœniculi, galangæ, vtriuſque hellebori, helenij, iridis, petroſelini raphani.

Ex corticibus, macis.

Ex liquoribus, lachrymis, gummiſque, vinum vetus, aſſa dulcis, & fœtida, ammoniacum, opopanax, muſchus.

Ex metallis flos æris æs vſtum, ſquamma æris, ærugo, alumen, ſal nitrum, ſulphur, chalcitis.

Ca-

Calida in quarto gradu.

At verò quæ maximè omnium, aut perniciosè calefaciunt, ea in quarto calida esse censentur.

Ex herbis seu folijs sunt lepidium, nasturium vtrumque, porrum capitatum, struthium, thapsia, tithymalus.

Ex fructibus piper album & longum.

Ex seminibus nasturij, sinapi.

Ex radicibus allium, cæpa, costus, porrum capitatum, pyrethrum.

Ex gummis euphorbium.

Ex metallis, auripigmentum, chrysocolla, sandaracha, vitriolum.

Frigida in primo gradu.

Quæ de calidis diximus norma esse possunt frigidis, siccis, humidisque. Itaque

Ex herbis folijsq; primo gradu censenda sunt atriplex, oxylapathum, malua, myrtus, parietaria.

Ex floribus maluæ, rosæ, violæ.

Ex fructibus, citrij caro, cydonia mala, pruna, pyra.

Ex seminibus hordeum, milium.

Ex radicibus graminis, maluæ. (nis.

Ex succis cõcretis acacia, sanguis draco-

Ex

Ex lapidibus hyacinthus, ſapphyrus, ſmaragdus.

Frigida in ſecundo gradu.

Ex foliis & herbis, blitum, lactuca, lens paluſtris, inthybus, hyacinthus, oxalis plantago, polygonum, pſillium, ſolanum.

Ex floribus, anemones, hyacinthi, cichorei, nymphææ luteæ.

Ex fructibus cucurbita, cucumis, galla, mala aurancia, punica, pruna damaſcena, pepones, perſica.

Ex ſeminibus acetoſæ, cichorei, alkekengi.

Ex lignis ſantali omnes albus, citrinus rubeus.

Frigida in tertio gradu.

Ex herbis ſeu foliis portulaca, mandragoſa, ſemperuiuum.

Ex floribus balauſtia.

Ex fructibus mala aurea, mala inſana.

Ex ſeminibus cicutæ, hyoſciam, pauaueris.

Ex radicibus mandragoræ.

Ex ſuccis hypociſtidis.

Fri-

Digitized by Google

Frigida in quarto gradu.

Ex foliis seu herbis cicuta, papauer, hyoscyamus.

Ex fructibus strammoneæ.

Ex liquoribus concretis meconium, opium secundum aliquas sui partes, nam secundum alias est valdè calidum, vt alibi innuimus.

Humida in primo gradu.

Ex herbis folijsue bugloſſum, helxine, malua.

Ex floribus bugloſſi, maluæ, intybi.

Ex fructibus citri caro, iuiubæ, amigdalæ dulces.

Ex seminibus maluæ sesami.

Ex radicibus satirij, bugloſſi, glycyrrhizæ, maluæ, rapi.

Humida in secundo gradu.

Ex herbis viola nymphæa, atriplex, blitum, lactuca, portulaca.

Ex floribus nymphęæ, violarum.

Ex fructibus cucurbita, melones, pepones, seu melopepones, perſica, pruna damaſcena, vuæ maturæ, saccharum.

Hu-

Digitized by Google

Humida in tertio gradu.

Pauca sunt, quæ tertio ordine humida censentur: in hunc censum ea referuntur, quæ maximè humectare solent, siue quæ inter humectantia maximè talia sunt, vt cucumeris, cucurbita, lactucæ succus, fungi, papauer satiuum, solanum somniferum &c. ex Vuecher.

Sicca in primo gradu.

Ex herbis & foliis beta, brassica, chamęmelum, fœniculum, myrtus, verbascum.

Ex floribus chamæmeli, croci, meliloti, rosarum.

Ex fructibus baccæ iuniperi, castaneæ.

Ex seminibus fabæ, fœnugręci, hordei.

Ex radicibus ari, brionię, rubiæ, althęæ, tamarisci.

Sicca in secundo gradu.

Ex herbis & foliis anagallis, artemisia, anethum viride, betonica, cuscuta, calamus odoratus, intybum, bursa pastoris æquisetum, gingidium, mentha, mentastrum, plantago, rosmarinus, spica nardi, sol-

ſoldanella, fumaria, pimpinella, oxalis ſiue aceroſa.

Ex floribus balauſtia, pęonię, anemonis, ſtechadis.

Ex fructibus capparis, cydonium, nux cupreſſi, nux muſcata, pira, piſtachia.

Ex ſeminibus fœniculi, carthami, lentes, orobus, miliũ, orizę, papaueris ſolani.

Ex radicibus cappares, cichorei, raphani.

Ex lignis ſandali.

Ex lachrymis, gummis, raſinis, galbanum, opoponax, pix arida, myrrha, ſtyrax, maſtiche, mel.

Sicca in tertio gradu.

Ex herbis & flor. filix, millefolium, quinquefolium, trifolium, polium, abſinthium, abrotanum & anethum vſta, apium, aſarum, chalaminta, epithimum, hyſſopus, iuniperus, maiorana, marrubium, origanum, petroſelinum, ruta, ſabina, thimus, ſerpillum.

Ex floribus balauſtia, epithymi, chamepityos.

Ex fructibus caryophylli, galla, piper, iuniperi baccę.

Ex ſeminibus grana tintorum, anethi, apij, aniſi, carui, cumini, coriandri, nigellę, petroſelini, milij.

Ex radicibus, & corticibus acori galangę pen-

pentaphyli, trifolij, asari, apij, scillæ, hellebori, cinnamomi.

Ex succis, aloë, acetum, acacia, camphora, moschus.

Ex metallis, flos æris, æs vstum, squamma, ęrugo, alumen, sal, nitrũ, sulphur &c.

Sicca in quarto gradu.

Ex herbis & folijs ruta silueſtris, allium, nasturtium, sinapi, pulegium.

Ex metallis calchantum, auripigmentum, sandaracha, chrysocolla, melãtheria. cetera vide apud Vuecher. lib. 4. cap. 14.

Medicamenta certos humores parteſque alterantia.

Hactenus præcipua, & quæ magis in vsu posita sunt, medicamenta alterantia enarrauimus, Vuecherum sequuti, vel potius Sennertum, qui e Vuechero omnia mutuatus in ordinem redegit: enarrauimus, inquam, quæ quamuis partẽ, quemuis humorem alterare possunt: nunc verò ea proponenda sunt, quæ cuilibet parti nostri corporis propria habentur, & cuiuis humori peculiaria esse censentur. In quo quidem præstando, non est cur subtiliùs philosophemur: ea sunt afferenda, quæ ab

alijs

alijs allata, longo vsu comprobata sunt: non hìc noua quęrimus medicamenta, sed vetera a veteribus allata comprobamus. Iam verò ex his omnibus calidis, frigidis, humidis, siccis aliqua caput peculiari quadam vi ac sympathia respiciunt, aliqua oculos, thoracem alia, pulmones, cor; alia stomachum, alia hepar, lien, renes, vterum, ceteras partes. Prætereà alia bilem alterant, alia pituitam, alia melancholiã. Hos igitur breuitati studentes singillatim quidẽ sed simul perspicuè afferemus ea, quæ & partes & humores respiciunt.

Medicamenta Bilem alterantia.

In capite simplicia sunt, rosa, viola, folia salicis, lactucę, nenupharis folia & flores, papauer album, nymphæa. Composita sunt syrupus de nymphæa, de papauere, violaceus, rosaceus. Conserua rosacea, violacea, florum nympheæ &c.

In pectore papauer, viola, iuiubæ sebesten, amilum, tragacanthum; Syrupi violaceus, iuiubinus, granatorum dulcium, liquiritiæ, iulep viol.

In corde acetosa, succus citri & limonis, cotoneum, semen citri, rosa, viola, corallum, os de corde cerui. Syrupi de succo acetosæ, citri, limonum.

In stomacho cucumeris cucurbita, portulaca,

tulaca, ribes, acetosa, succus citri, granatorum, limonum, Syrupus acetosus simplex acetosæ granatorũ, de agresta, myrtinus, cydoniorum. Conserua rosarum.

In hepate cichorium, endiuia, rosa, portulaca, hepatica, nymphea, solatrum, viola. Syropi de cichoria, de endiuia, acet. simpl. &c.

In splene acetum, cichorium, endiuia, semen citruli, cucumeris, scariolæ &c. Syrupi de endiuia, acetosus simplex, de cichoria.

In renibus & vesica, lactuca, endiuia, nenupharis folia, plantago, papauer album, semen melonum, cucurbitæ, citruli, endiuiæ, portulacæ, succus cydoniorum. Syrupi ex his parati, violaceus, de liquiritia.

In matrice cucurbita, endiuia, lactuca, folia nenupharis, semperuiuum, semen melonum, & omnia ferè semina frigida, ac syrupi ex his parati.

In iuncturis acacia, acetum, folia graminis, vitis, salicis, myrthi, rosa, solatrum psillium: & ex his confecti syrupi.

Medicamenta Pituitam alterantia.

In capite bettonica, hyssopus, saluia, chamomilla, fœniculum, lauri folia, maiorana, melilotum, peonia, pulegium, nux mu-

muſcata, roſmarinus, ſerpillum, ſatureia, meliſſa, lauendula &c. Syrupus de bettonica, de ſtœcade, mel roſatum ſimplex.

In pectore, bettonica, capillus veneris, hyſſopus, fœniculum, ſcabioſa, glycyrrhiza, meliſſa, praſſium, radix ireos, radix enulæ, radix liquiritiæ &c. Syrupus ſcabioſæ, hyſſopi, praſſij, capilli veneris glycyrrhizæ.

In corde meliſſa, roſmarinus, zedoaria, folia citri, cortices & ſemina, moſcus, ambra, nux moſcata, garyophylli, cinnamomum, crocus, flores anthos, meliſſæ: Syrupus biſanthinus, de corticibus citri, de pomis.

In ſtomacho abſinthium, fœniculum, aniſum, calamus aromaticus, garyophylli, cinnamomum, lignum aloës, mentha: Syrupus de mentha, de abſinthio, mel roſatum ſimplex, oximel ſimplex, oximel ſacchar. &c.

In hepate abſinthium, agrimonia, apium, aniſum, cinnamomum, eupatorium, fœniculum, hyſſopus, origanum, petroſelinum, radix fœniculi, petroſelini, ruſci, aſparagi, ſemen aniſi, fœniculi, cumini, carui, ameos, amomi, apij, dauci, Syrupus de eupatorio, acetoſus ſimpl. de abſinthio, de eupatorio, de duabus rad., de quinque rad.

In ſplene acorus, ariſtolochia, apium, aniſum, aſparagus, amigdalæ amaræ, cap-

pares, eupatorium, gentiana, supradictæ radices & semina: Syrupus de duabus rad., de quinque radicibus, thymi, epithymi.

In renibus parietaria, capil. veneris, vrtica, saxifragia, fœniculum, cicer, eruca, pentaphilon, spica nardi, quinque folij radix. Syrupus capilli veneris, de hibisco, de duabus rad., oximel. &c.

In vtero bettonica, matricaria, pulegiũ, capil. veneris, sabina, melissa, arthemisia, ruta, valerianæ, & aristolochiæ radices. Syrupus de arthemisia, de calamentho, de matricaria, capil. ven.

In iuncturis chamomilla, costum, eupatorium, flores anthos, chamomillæ, meliloti, hermodactilus, hipericum, iuniperus, myrrha, saluia, rosmarinus &c. & syrupi ex his parandi.

Medicamenta Melancholiam, & Atram bilem alterantia.

In capite fumus terræ, lupulus, poma dulcia. Syrupus de pomis, lupul., fumarię.

In pectore acorus, dactili, melissa, flores melissæ: Syrupi ijdem.

In corde borago, buglossum, melissa, rosmarinus, flores rosmarini, borag., buglos., melissæ. Syrupus de succo boraginis, bugloss æ, pomis &c.

In hepate asarum, fumus terrę, lupulus, ra-

radix cichorei, radix polipodij. Ijdem ſyrupi.

In liene acorus, amigd. amaræ, cappares, polypodium, epithymum, tamarix, radix acori, tamariſci &c. Syrupi prædicti omnes, thymi, epithymi &c.

De Medicamentis, quæ non ſolùm primis, ſed ſecundis, tertijs ve qualitatibus Alterant, aliaque ſimilia præſtant: & primò

De Emollientibus & Indurantibus.

In medicina facienda non ſolùm contingit calidum frigefacere, humectare, ſiccum; ſed etiam durum mollire, indurare molle: &c. vtrumque enim, ſi naturæ modum excedat, vitioſum eſt ac morbidum. Durum autem, quod mollire indicat, multiplex eſt ex Gal. 1. Simpl. 5. vnum quod ſiccitate nimia duruit; alterum quod nimio humore turget; vt in pila luſoria, quæ eò durior eſt, quò flatu plenior: tertium, quod congelatum atque concretum, vt humor in ſcirrho induratus, vel in œdemate concretus, vel ſimili modo. Primum induratum humiditate molleſcit, alterum euacuatione, tertium emollientibus medicamentis, de quibus nunc agimus. Hæc eſſe debent calida ſiccaque, vt aiunt, circa primum gradũ, vel paulò vlteriùs quo ad

primas qualitates, vt concretum humorem calefaciant, fundantque: quo ad secundas verò emplasticam vim habere debent, non secus ac pus mouentia, vt nimirum poros obducant claudantque, ne tenuibus partibus exhalatis, crassæ magis durescant. huiusmodi sunt althea, atriplex, malua, beta, mercurialis, melilotum, radices liliorum alborum, & altheæ; semina cydonij, lini, fœnugręci, maluæ, caricæ, pinguedines gallinæ, vituli, suis, hœdi, medullæ horum omnium animalium, butyrum, cera, bdellium, ammoniacum, galbanum, ladanum, styrax, lana succida, mel, vua passa, ceteraque huiusmodi.

Indurantia verò his omnibus contraria sunt, frigida nimirum humidaque, vt semperuiuum, portulaca, psyllium, lenticula, palustris, solanum, vt Vuecherus ait, cui repugnare hic non libet.

De Attenuantibus & Incrassantibus.

Attenuantia medicamenta ea dicuntur, quæ humores crassos, attenuare possunt. ergo necesse est, vt tenuis substantiæ sint; ac proinde omnia ferè calida. Dico *ferè* quia sicuti omne attenuans medicamentum est tenuis substantiæ (nam crassum crassitiem adderet humori crasso) ita non omne est calidum, quia non omne tenue ca-

calidum est: nam complura frigida tenuia esse docuimus capite 2. *Exercitationum de Sero Lactis*. Attenuiantia igitur medicamenta aut calida aut frigida sunt, omnia tenuis substantiæ acriuscula aut acida. Calida sunt radices quinque aperientes, fœniculi scilicet, apij, asparagi, petroselini, ruscí: item gentianæ, filicis, tamariſci, fraxini, centauri maioris. Ex folijs siue herbis, capil. ven., fumaria, cetrach, pulegium, calamintha. Ex seminibus ac similibus anisi, fœniculi, ameos, agni casti, ciceres rubri, amigd. amaræ, lupini, nuclei persicorum, cappares. Frigida sunt cichorium, radices graminis, acetum, succus limonum, citri, aranciorum; syrupus acetosus simpl., spiritum vitrioli sunt qui in horum numerum recenseant, aciditate freti, atque persuasi: sed nugæ sunt, meræ nugæ: nam certissimo experimento constat esse calidissimum. Sed quidquid sit de spiritu calchantis illud scire oportet

Incidentia aperientiaque attenuantibus esse cognata: imò verò quæcumq; attenuant, simul etiam necessariò incidunt aperiuntque. Animaduertere tamen necesse est, sicuti attenuantia debentur crassis humoribus, ita incidentia lentis viscidisque.

Incrassantium natura ex apposita tenuitate innotescit. ergo frigida, aut saltem temperata sint oportet, crassiæ substantiæ,

& aciditatis acrimoniæque expertia, vt portulaca, papauer, lens, acetosa, oryza, malum cydonium, amylum, succus granatorum, bolus armenia.

De Rarefacientibus, & Condensantibus.

Haud absimile attenuanti rarefaciens medicamentum est: tenuis enim substantiæ modicèque calidum est, & minimè siccum, quò cutis meatus possint rarefacere aperire, & vaporibus exitum parare, vt althea, adiantum, anethũ, chamæmelum, fœnum græcum, melilotum, mercurialis, farina hordei, tritici, semen lini &c.

Constipantia siue condensantia his planè contraria sunt, crassæ nimirum substantiæ, frigidaque non mediocriter, non tamen terrestria, sed potius aquea, vt aqua frigida, semperuiuum, portulaca, lenticula palustris, psyllium, papauer, cicuta, mandragora &c.

De Repellentibus & Attrahentibus.

Frigida semper sint oportet quæcumq; repellunt, non tamen semper crassarum partium: nam etsi quæ crassa sunt, aptiora videantur ad repellendum in partem aliquam fluentem humorem; tamen etiam

tenuia

tenuia quandoque repellunt, vt acetum, maximè actu frigidum. Crassarum verò partium sunt acacia, balaustis, cucurbita, lens palustris, malicorium, mespilus, omphacium, papauer, plantago, portulaca, punica mala, quercus, solanum &c.

Attrahentia verò contrarium motum, cum imperent humori, contrariæ etiam substantiæ, ac temperaturæ sint necesse est. ergo calida & tenuium partium, vt amaracus, ammoniacum, apium, aristolochia, bdellium, ciclaminus, dictamus, galbanum, fermentum, fæx vsta, gentiana, hedera, helenium, iris, nitrum, opopanax, pirethrũ, pix, omnis rasina, stercus omne, sinapi, ranunculus, tapsia, veratrum nigrum &c.

De Roborantibus Medicamentis.

Quæ roborant ferè calida sint necesse est: debent enim calorem debili parti addere: adstringendi vi pollere etiã debent, ac proinde crassarum partiũ sint oportet: De calore verò illud addo, non semper calida esse debere: cum enim roborantia sint, quæ partibus amissum robur restituunt, ac proinde amissum temperamentum (nam robur in temperamento maximè consistit) etiam frigida id præstare possunt, nimis calentem partẽ, ac proinde

debilem, refrigerando. Ergo **roborantia** sunt non solùm absinthium, aloe, alumen, calamus odoratus, coriandrum, crocum, costus, iuncus odoratus, mentha, mirrha, nardum, rhabarbarum, rosmarinus, saluia, stœchas, terebinthus & similia: sed etiam rosa, plantago, omphacium, myrtus, mala, siluestria, limonium, cydonium &c. Omnia tamen adstringendi vi pollere debent. vnde fit vt laxantia omnia inimica, sint & contraria roborantibus.

De Abstergentibus.

Omnia, quæ abstergunt, hoc est, quæ lentos crassosq; humores auellunt, calida amaraque, vel nitrosa sunt, vt absinthium, abrotanum, agaricus, aloe, aristolochia, & rotunda & longa, arum, asarum, asparagus, beta, brassica, capparis, cardamomum, fœniculum, fumaria, gentiana, glans vnguentaria, lupini, marrhubium, mel, mirrha, nitrum, scilla, scordium, stœchas, tamarix, veratrum vtrumque &c. Inter hæc hordeum etiam præcipuè recensetur a Vuechero, lactuca siluestris, plantago, nimphea, quæ calida non videntur.

De Incidentibus & Aperientibus.

Vide superiùs de Attenuantibus.

De

De Maturantibus.

Maturantia seu suppurãtia medicamẽta dicuntur, quæ pus mouent, hoc est, quæ humorem in parte collectum coquendo vertunt in pus. ergo calida humidaq; sint necesse est: nam coctio siue maturatio a temperato calore vaporoso sit. Emplestia etiam esse oportet, vt calorem intus cohibeant: huiusmodi sunt adeps porcinus, vitulinus, gallinaceus, anserinus, caprinus, butyrum, cera cum oleo, ficus, fœnum græcum, lilium alb., althea, semen lini, farina hordei, tritici, mastiche, ficus, fermentum &c.

De Discutientibus.

Discutientia sunt calida tenuiumque partium: ergo abrotanum in horum numero est, adiantum, althea, anethum, anisum, apium, aristolochia, beta, brassica, chamæmelum, coriandrũ, ciminum, dictamus creticus, fenum græcum, galbanum, ladanum, malua, melilotum, mentha, mercurialis, nitrum, oleum anethinum, chamomælinum, rutaceum.

Digitized by Google

De Glutinantibus.

Glutinantia medicamenta ex ſicca & cogente cõſtant materia, inquit Vuecher. huiuſmodi ſunt adianthum, aloe, alumen, amomum, amilum, ariſtolochia, bettonica, bitumen, braſſica, caſeus, camædris, centaurium maius & minus, cupreſſus, corallus, dictamus, æquiſetum, æs vſtum, gentiana, hipericum, lens, myrtus, pix ſicca, plantago, poligonum, ſambucus, quercus, vlmus, &c.

De Carnem Generantibus.

Sarcotica medicamenta ſunt, quæ in vulnere & vlcere carnem regenerant. & quamuis actio naturæ ſit generare carnẽ, tamen medicamenta, quæ opem ferunt naturæ vel calorem addendo partibus, vel impedimenta auferendo, puta dolorem, fluxionemque, vel excrementa abſtergendo, ſarcotica dicuntur, hoc eſt carnem generantia. Hæc itaq; eſſe debent moderatè calida ſiccaque & abſtergentia. Calida quidem vt calorem addant parti laboranti, ſicca vt abſumant humiditates ſuperuacaneas, abſtergentia, vt ſordes eluant: hæc ſunt aloë, myrrha, maſtiche, thus, ce-

Digitized by Google

ceruſſa, cadmia, pampholyx, tutia lithargyrium, farinæ hordei, fœnugræci, erui, tragacantha.

De Cicatricem Inducentibus.

Hæc potius frigida ſint neceſſe eſt, craſſarum partium, vt adſtringant, atque adeò ſicca, vt nimirum interceptas in labris humiditates abſumant, vt alumen, lithargyrium, bolus armenia, plumbum, ariſtolochia, balauſtia, plantago, corallium, cortices granatorum, tormentilla, thus, ſanguis dragonis, æs vſtum, antimonium, &c.

De Lenientibus Dolorem.

Anodyna medicamenta propriè dicuntur, non quæ cauſam doloris adimunt, neque partis ſenſum obtũdunt, ſed quæ temperato quodam calore humoreque ita ſunt naturæ familiaria & grata, vt dolorem mollire poſſint. cum enim dolor ſit triſtis ſenſatio, per contrariam blandam dulcemque, vt ita dicam, ſenſationem tollenda eſt: id autem ea præſtare poſſunt, quæ tepido calore prædita ſunt blandoq; humore. Neque verò exiſtimandum eſt (quod vulgò medici exiſtimant) anodyna nullo modo doloris cauſam reſpicere, nam

nam etsi triplici modo dolor læniri vulgo dicatur, vel per ablationem causæ, vel per obtusionem sensus partis, vel per anodyna: tamen anodymum medicamentum causam & ipsum aliquo modo respicit. eiusmodi enim est substantia & qualitate, vt tenuitate permeet in partem dolore præssam: causamque doloris attenuet calefaciat, humefaciat, & per patentes poros digerat: aut saltem coquat & ad mediocre quoddam temperamentum blandumq; redigat: huiusmodi sunt anethum, althea, chamæmelum, cuminum, fœnum græcum, ficus, semen lini, malua, milium, petroselinum, rosmarinum, serpillum, sampsuchus, sambucus, radices liliorũ, oleum dulce, butyrum recens, pinguedo gallinę, anseris, medulla panis albi, axungia porcina &c.

His verò vehementiora sunt, quæ sensum obtundunt, ac narcotica proinde dicuntur: horum princeps est opium, deinde mandragora, hyoscyamus, solanum, nymphea, papauer &c.

De Somnum Conciliantibus.

Somnum accersunt quæcunque narcotica sunt, imò ita accersunt, vt, si paululum vberiùs sumantur, ęternum soporem mortemque inducant. prudenter igitur & omni-

omnino cautè adhibenda. Quę verò infirmiùs somnum conciliare dicuntur, hæc ferè sunt, viola, rosa, lactuca, endiuia, populus, siue potius eius folia, semina melonum, &, si quæ sunt, similia.

De Euacuantibus Memb. 2.

EX alterantibus medicamentis non quidem omnia, quæ alterare, vel quouis alio modo corpus qualitate aliqua afficere possunt, in medium attulimus, sed pręcipua, & ea maximè, quæ frequenti in vsu posita sunt. Id ipsum de Euacuantibus pręstabimus, frequentiora solũ afferentes.

Euacuantia autem multiplicia sunt: vel enim per aluum, vel per vomitum, sudorem, vrinam manifestò euacuant. itaque singillatim de omnibus breuiterq; agẽdũ.

De Purgantibus Per Aluum.

Quæ per aluum purgant, vel leuia sunt, vel fortia: illa *lenitiua* dicuntur, suntque ea omnia, quæ vel emolliendo, vel lubricando, humectando, abluendo ve obuiam quemuis humorem ducunt: huiusmodi sunt antiquis vsurpata serum lactis, mercu-

curialis, beta, brassica, epithymus, & alia nonnulla: nobis verò tum eadem, tum passulæ, pruna damascena, sebesten, cremor tartari & similia, quæ liquant humores, funduntque vel abstergunt, aut mole præmunt deorsumque trudunt.

Validiora verò sunt, quæ non quemuis humorem sibi obuiam, sed certum eligunt purgantque. Ergo vel bilem purgant, vel pituitam, vel melancholiam, vel demum senosos humores. Id autem qua ratione præstent, an attrahendo, an potius expellendo ac fugando, non hic locus discutiendi: res enim valdè controuersa est, & a nobis in Quæstionibus enucleanda. Illud hic scire conducit, hæc omnia medicamenta, vel leuiora esse, vel fortiora: itaq;

Purgantia Bilem.

Leuiora sunt Viola, Rosa, Flores persicorum, Manna, Cassia, Tamarindi, Myrobalani citrini, Rhabarbarum, Aloë.

Violæ sunt frigidæ in primo gradu, & humidæ ad secundum vsq;. Mesues acredinem occultamq; qualitatem eis tribuit: nos vt hæc peruicaciter non negamus, ita censemus acredinē gustu perceptam euanescere, a frigore & humiditate superatā.

Rosa frigida vt viola est, in primo scilicet, sed non vt illa humida, sed sicca ad se-

secundum vsque gradum: huius succus vel infusio nouies repetita, vt illius, in syrupum efformatus bilem leuiter purgat, roboratque viscera præsertim hepar.

Persicorum flores valde amari, ac proinde calidi, leuiter bilem purgant, sed plerunque dolorem excitant: igitur cautè adhibendi, & in electuarium redacti, ac vermibus præcipuè vrgentibus: enecant enim eos, atque expellunt, quod summoperè desiderandum.

Manna subcalida est in humiditate ac siccitate temperata: valde dulcis est, ac proinde neque in magnis febribus, neque in bilioſis vsurpanda, nisi acida admisceantur, vt tamarindi. Est veluti ros cęlestis, qui ex aëre sudoris instar exudans sublucanis horis super frondes & ramos arborum, herbarumque concrescit. Concrescit etiam in cæsis arborum truncis, non secus ac gummæ.

Cassia in actiuis qualitatibus temperata, in passiuis humida est, debili stomacho inimica, item & intestinis debilibus, ac hypochondrijs flatuosis. quarè anisis corrigenda, cinnamomo, similibus. Et quamuis triplex sit Cassia, Cneoron Theophrasto, Lignea seu canella, & fistula; tamen de hac loquimur, cuius interior pulpa nigra est. ac mollis. rupta enim fistula, pulpa est mollis, subdulcis, hoc est cum quadam aciditate mista, & ad soluendā bilem satis iucunda. Ta-

Tamarindi frigidi ficcique sunt ordine secundo : bilis feruorem temperant, & quantitatem euacuant : vix soli vsurpãtur, quippe leuissimi ad purgandum. Sunt autem tamarindi Indiæ dactyli, ex procera arbore nati fructus, qui cũ immaturi sunt virent, cum verò matureſcunt, in subcinericium colorem habeunt, acquiruntque acidam suauitatem, purgandoq; idoneam.

Myrobalani sunt quinque ſpecierum, citrini, nigri, seu indi, chebuli, emblici, bellirici. soli citrini cholagogi sunt: omnes tamen sunt quędam silueſtria pruna, ex arbore nuſpiam domeſtica, sed in siluis solùm ſponte naſcente.

Rhabarbarum calidum & ſiccum in secundo gradu bilem purgat paulò vehementiùs quàm ſuperiora: duplici facultate præditum eſt, adſtringente roborante que & aperiente, ex ætherogenea ſcilicet ſubſtantia talem facultaté mutuatum: omnibus oportunum eſt ætatibus; hepati maximè amicum, diciturque propterea eius anima. & non ſolùm purgat bilem, ſed etiam pituitam, obſtructioneſque tollit. Eſt radix ex China in Indiam orientalem Arabiam, Perſiamque aduecta, indeq; ad nos adſportata. naſcitur etiam in Tangai Tartariæ Regno.

Alóés calida eſt in ſecundo gradu, ſicca in tertio, præparata exhibetur, non pura puta: modus auté præparandi apud pharma-

macopolas est multiplex, qui apud eos videndus. Est succus herbæ aloes dictæ, & apud Indos vberrimè nascentis: duplex ad nos affertur, vna arenosa & impura, qnæ veterinarijs vsurpatur, quippe medendis equis idonea; altera purior, quæ quia hepatis modo coacta est, hepatica dicitur; vel succutrina, quia succo citrina videatur; vel quasi socotorina, quod ex insula socotorina adsportetur. Ex compositis medicamentis præcipua cholagoga mitiora, sunt syrupus de cichorea compositus cum rhabarbaro, syrupus rosaceus solutiuus, syrupus violaceus solut., diaprunis simplex, electuarium lenit.

Validiora verò cholagoga sunt Scamonium, Peplium, Asarum.

Scamonium validissimum omnium & antiquissimum cholagogum, est succus scamoneæ plantæ concretus, ordine tertio calidus siccusque: parum distat a veneno: erodit enim abraditque intestina, aperit venarum ora, stomachum, hepar naturaliaque viscera perturbat. Quarè temperandum est atque castigandum cytonio malo, vel admisto alóé, aut apio, fœniculo, dauco, simili. Ita castigatum Diacrydium dicitur. Castigandi autē plures modos eosque præclaros vide apud Crollium Panchymagogon &c. Sennertum lib. 5. Inst. p. 1. 5. 3. cap. 9. Facili etiam & saluberrima ratione præparatur ab Illustris.

viro

viro Equite Cassiano a Puteo, omni litterarum genere, ac præsertim rerum naturalium & Chymiæ scientissimo: quo modo præparatum scamoneum iucundissimè, & vtilissimè Romani equites passim vsurpare solent.

Peplij semen non minùs quàm scamonium apud Hippocratē, & alios antiquos in vsu positum fuit: & vt illud ferè vehemens est, ita cordi, stomacho, & hepati inimicum est, nisi spica indica corrigatur, cinnamomo, nuce muscata, ceterisq; huiusmodi odoratis & cordi visceribusque amicis.

Asarum minùs vehemens, minùsque frequens est: eius folia, & radices in vsu posita sunt: dantur contrita vel infusa cum sero lactis; vehementer de obstruit, ac lentos etiam crassosque humores ducit, & per vrinam purgat. Composita fortiora sunt electuarium succi rosarum, elect. ros. Mesues, diaprunis solut. diaphenicon, diacarthamum, &c. pillulæ de tribus cum rhab. pill. aureæ, aggregatiuæ, sine quibus &c.

Pituitam Purgantia.

Mitiosa sunt duo myrobalarum genera chebuli, & emblici, Agaricus. Fortiora Hermodactylus, Turbith, Colocynthis, Eu-

Euphorbium, Opopanax, Sagapenum.

Myrobalani chebuli & emblici citra controuersiam pituitam purgant, sicuti citrini bilem, indi siue nigri melancholiã: quid autem sint, superius traditum est.

Agaricus non radix est, vt Dioscorides & Galenus existimasse videntur; sed fungus, albus, mollis, plenus, & friabilis, larici omniũ optimus adnatus. nam qui alijs arboribus adnascitur deterior est. & quamuis in Italia nascatur, vbi proceres & copiosę larices pullulant; in Gallia præsertim verò in Delphinatu, in Galacia, Ciliciaq;, tamen in Agaria Sarmatiæ regione, vnde agarici nomẽ deriuat, nascitur vberrimus. Calidus est primo gradu, siccus secundo, non purgat modo pituitam, sed etiam detergit, attenuat, flatusque dissipat, vt ait Renodæus. Aliqui putant tenuem solùm pituitam purgare, sed non video, cur etiam crassam viscidamque leuiter non trahat; cum hanc incidat detergatque. Illud tamen verum est, vt capiti amicus ita stomachum lædere, proinde opus habere corrigentibus, cinnamomo, garyophyllo, nuce mus; mastiche, galanga, &c. Composita verò leuiora sunt hiera picra Galeni, pill. de hiera simpl. alephanginæ, de agarico, mastichinæ.

Medicamenta pituitam fortiùs ac valentiùs trahentia sunt primo. Hermodactylus certò ducit lentam, crassam, & e iuncturis remo-

motisque partibus pituitam ; calidus est siccusque initio secundi ordinis, stomacho vt agaricus aduersatur; eadem igitur correctione opus habet.

Turbith quid nam sit, non adhuc exploratum: aliqui putant esse radicem alypi, alij tripolij, antiochenæ scamoniæ alij, alij tapsiæ, alij aliud, de qua re Garcias, Renodæus, & alij. illud satis constat calidum esse tertio gradu & siccum secundo, lentam craſſamque pituitam trahere etiam e longinquò ; & quia stomacho noxium, ideò corrigente opus habere.

Colocynthis turbith & valentiùs purgat, & e remotioribus partibus, atq; adeò calidior, sicciorque est. igitur in neruorum affectibus, iuncturarum, pulmonisque morbis oportunus. est sylueſtris cucurbita, humi repens satiuæ more, sed eo tamen discrimine, quòd illa inimica est vicinis omnibus plantis, eaſque veluti peſtiferum venenum enecat.

Euphorbium calidum siccumq; quarto gradu pituitam valentiùs trahit: raro vsurpandum, cũ proximè ad veneni naturam accedat, & nonnisi optimè correctum. Est liquor concretus, effluxus siue ex arbore, siue ex folijs, vt mauult Redonęus; nomen sumpsit ab Euphorbio, Iubæ Regis Mauritaniæ medico auctore & inuentore.

Opopanax panacis denſatus succus est: ex quo autem panace fluat, non satis constat

ſtat apud Meſuem, Dioſcor; Rodonęum, ceteros. apud omnes tamen exploratum videtur, & calidum eſſe ordine tertio, ſiccum ſecundo, & pituitam craſſam viſcidamque ducere.

Sagapenum, opanaci qualitatibus affine, purgat pituitam tenuem craſſamque: ſuccus eſt, ſiue liquor cōcretus, e quadam exoterica ſtirpe ſauciata manans; ſiue potius e ſtirpis radice. Fortiora compoſita ſunt electuarium Indum, diacarthamum, diaturbith, hiera picra, hiera logodij, pillulæ de hiera compoſ., de hiera cum agar. cochię, lucis maiores, de hermodactilis, indę, fœtidę maiores &c.

Melancholiam Purgantia, & Vſtos Humores.

Quæ infirmiùs melancholiam ducunt, ſunt Fumaria, Epithymum, Sena, Mirobalani, Polipodium. Validiùs Lapis lazuli, Lapis armenius, Elleborus niger.

Fumaria, ſiue fumus terrę infirmè quidem, ſed tamen melancholiam vſtoſque humores etiam ex hepate veniſque allicit: acris eſt calidæque facultatis ordine ferè ſecundo. herba eſt notiſſima

Epithymum calidum eſt ſiccumque ordine tertio, vſtos humores ducit fumaria valentiùs, præſertim verò in quartanis, hypochondriaca affectione, ac ſimilibus.

Eſt

Est veluti cirrhus & capillamentum thymo adnatum.

Sena ex oriente aduehitur, planta est folia myrti similia emittens, calida primo gradu, sicca secundo. purgat non modò melancholiam vstosque humores, sed pituitam etiam. stomacho inimica putatur, sed tamen aliqui id confidenter negant, ab amarone, stomacho amico, persuasi. sed illud certum est, tormina, nisi anisso, cinnamomo, vel simili corrigatur, excitare. Ex compositis mitioribus habentur electuarium lenitiuum, diacatholicum, pillulæ de fumaria &c.

Purgantia verò fortiora primò sunt, Lapis lazuli sena validiùs melancholiam purgat, armenio infirmiùs: vterque lapis in ijsdem ferè fodinis aut ærarijs aut argentarijs reperitur: lazulus verò potius in aurarijs, vnde maculas aureas mutuatur. Vtrumq; experti sunt tum alij, tum maximè Trallianus & Brasauola.

Ellebotus niger etsi multiplex est, verus, falsus, silueſtris, hortensis; tamen cum de purgante nigro elleboro loquitur, verum intelligimus: validissimum omnium melancholiam vstosq; humores purgantium est: eius radices exhibentur vel in puluerem redactæ, vel decoctæ.

Compositæ sunt confectio amech, diasena, electuarium de hepythimo, pillulæ lapis lazuli, indæ, lucis minores &c.

Aqui-

Aquosos Humores Euacuantia.

Mitiora sunt Radix Ireos, Mechoacanna, Soldanella. Fortiora Elaterium, Gratiola, Esula, Mezereon.

Succus radicis ireos calidus & siccus in tertio aquam bilemque purgat: exhibetur cum sero lactis vel simili.

Mechoacanna, rhabarbarum album ab aliquibus dicta, ab alijs scamonium indicum, siue americanum, radix est alba, nullius saporis, calida in primo, sicca in secundo, ex Mechoacan Indiæ prouincia adsportata: in puluerē redacta cū vino exhibetur ad aqueos humores purgādos. Huic similis est radix gialapa: idem prę̨stant flores persicorum, ebulus, sambuci medius cortex, gummi gotte &c.

Soldanella seu brassica marina non quidem fortes, sed non admodum debiles vires habet aquæ purgandæ: eius folia infusa & decocta in vsu posita sunt in hydrope: sed quia stomacho visceribusque obsunt, ideò corrigenda cinnamomo, spica &c.

Elaterium, hoc est, succus cucumeris siluestris, siue asinini validè aquā bilemq; ducit: est calidus in secundo, summè amarus, ac benè inspissatus ducentos annos integris viribus, imò mirabilibus viuit. sed quia vehementissimum est medicamentū,

ideò antiquatum est, & rarò vsurpatum, & rectè præparatum castigatumque.

Gratiola validè quidem trahit, sed turbulenter, vomitum proinde excitat. igitur cinnamomo vel simili corrigente opus est.

Esula purgat satis validè, sed noxiè vt gratiola. eodem igitur corrigente indiget.

Mezereum ignea vi & acerrima præditum validissimè purgat: rarò igitur vsurpandum, & valdè correctum.

Ceterùm illud notandum est, ex his nihil tutiùs, blandiùsque atque frequentius vsurpari, quàm radicem Mechoacanna. Ex compositis diacarthamum vtile est, & plura ex ijs quæ pituitam purgant.

Purgantia per Vomitum.

Quæ per vomitum purgant, siue mitiora sint, siue validiora; siue proprietate quadam humores sursum trahāt, siue non; omnia eiusmodi sunt, vt stomachum peruertant atque conturbent, excitentque ad eijciēdum superiùs, quæ in eo continētur.

Mitiora sunt, aqua tepida, aqua cum oximelite, iura pinguia, oleum, butyrum. Paulò validiora, semen & flores anethi, & atriplicis; asarum, raphanus, radix & semen cucumeris satiui, semen erucæ, vrticæ atriplicis cæpæ.

Adhuc fortiora sunt, helleborus albus, ebuli

ebuli flores, geniſtæ, ricini ſemen, radix brioniæ, iridis, tithymalus: omnium verò valentiſſimum eſt antimonium, variè præparatum, de quo chymici miras excitant tragœdias.

Purgantia per Vrinam.

Diuretica omnia (propria intelligo) calida eſſe debent vſq; ad tertiũ gradum, ac tenuiſſimæ ſubſtantiæ: cum enim aperire, incidere, attenuare, ac fundere debeant humores, eiuſmodi ſint oportet. hæc ſunt folia & radices petroſelini, apij, fœniculi, aſparagi, ruſci, valerianæ, pimpinellæ, ſpica nardi, vrticæ, aſari, eupatorij; ſemen fœniculi, aniſi, milij ſolis, chærefolij, ſaxifragiæ, amigdalæ amaræ, nuclei perſicorũ, terebinthina, naſpiritus calchantis, ſpiritus ſalis; item alia quædam, quæ non ita calida ſunt, vt capil. veneris, ciceres, anethum. Quædam etiam ait Senner. humida ſunt & vias vrinæ læniunt, vt glycyrrhiza, althęa, ſemina maluæ. Alia frigida, attenuandi tamen vi prædita, abſtergendique viſcida, atque adeò temperandi acres calidoſq; humores, vt ſemina melonis, cucurbitæ, cucumeris, hordeum, fraga, addo radices graminis, ſerum lactis, ſuccum citri, limonum. Alia demum ſunt, quæ multam aquoſam humiditatem ſup-

Digitized by Google

peditantia, humores in vijs contenctos secum ducunt ad renes, vt aquæ thermales, vinum album, tenueque &c.

Purgantia per Sudorem.

Idrotica seu diaphoretica medicaméta sudorifera latinis dicta, haud absimilia sunt superioribus vi & facultate: sæpe enim accidit, vt idem medicamentum & sudorem & vrinam prouocet; non solùm quia roboret naturam, quæ deinde viribus pollens materiam vel per vesicam, vel per cutim euacuet; sed etiam quia vel materia circa periferiam & cutim sita est, eaque laxa, aperta calidaque, renes verò frigidiores: vel econtra materia in venis maioribus, propeque renes consistat, & hi calidi sint, cutis verò & adstricta & frigida: vel demum natura aut eò, aut huc vergat. nam exhibitum medicamentum naturæ propensioni obsequitur. Sudorifera igitur calida, tenuiaque, tenuantia, rarefacientia, dissoluentia, & naturali quadam vi ad periferiam trahentia esse debent: præter dicta & hæc sunt Carduus benedictus, angelicæ radices, tormentillæ, zodoariæ, chinæ, salsæ parilliæ, lignum guaiacum, sassafras, bezoar, lapis porci spini a nobis aliquando salubriter adhibitus; & alia complura, breuitatis causa omissa.

De

De Recta Medicamentorum Administratione Memb. 3.

RECtus & oportunus medicamẽtorum vsus tanti faciendus est, vt iurè dicere possimus esse, vt fertur adagio, *Proram & Puppim*, totiusque rei caput & summam. vnusquisque vel rudis pharmacopola probè nouit, alterantia omnia, purgantiaque medicamenta in febri, ac alio morbo vsurpanda esse: at quæ priùs, quæque posteriùs, quo modo, quo tempore, in quibus rectus eorum vsus consistit, nonnisi is, qui in medicina diu multumq; accuratè versatus sit, probè assequutus est. Videmus idem medicamentum in eodem morbo a diuersis adhibitum, aliud quidem morbũ, aliud vitam pellere: medicamẽtum oportunè rectèq; vsurpatum, est veluti gladius in gladiatoris manu; perperam verò importunèque, est idem gladius in manu furentis. Itaque oportunus eorum vsus pro viribus explanandus, assequendus. De alterantibus pauca dicam, tum quia quiuis breui praxi rectum eorum vsum sibi comparare potest; tum quia cum sexcentia ferè sint alterantium genera, de singulis agere, epitomæ est fermè importunum;

tum demum quia error in his haud facilis est: nam siue v. g. duas vncias syrupi alterantis exhibeas, siue tres, quatuor ve, parum vel nihil delinques: purgantis verò medicamenti si duplam quantitatem exhibeas, perniciosè peccabit. Illud tamen de alterantibus nouisse expedit, hæc (loquor de humoribus, febrim præcipuè, internosque morbos facientibus) ideò vsurpari, vt humores ad naturalem rediganter statum ac temperiem: ergo vel refrigerant, calefaciunt ve calidos frigidos ve, humores; humectant, aut siccant siccos, humidosue; vel crassos attenuant, incidunt lentos, viscidos abstergunt, vel alio modo noxios, & a naturali conditione aberrantes, ad bonam frugem reducunt. Itaque tandiu vsurpandi sunt huiusmodi alterantia, donec scopum, cui collimant, assequantur. Hoc autem coquere est, ac propterea concoquétes syrupi dicuntur. Hoc primò in morbis per hanc pharmacię partem præstato, aliam eiusdem partem, quæ purgans medicamentum complectitur, vsurpamus.

Plurima autem sunt, quæ ad rectum Purgationis vsum spectanda sunt: Primò quidem eius Indicans, deinde verò Quantitas & qualitas; tertiò Tempus; quartò Locus. Spectatur etiam ægri ætas, temperamentum, corporis habitus, consuetudo, peculiaris cuiusq; natura: quinimo & anni tem-

tempus, regio, peculiaris cæli ſtatus, aliaque huiuſmodi.

Quod facit ad primum, purgationis indicans eſt cacochymia, ſiue copia malorũ humorum. nam etſi purgatio dicatur a Gal. 1. aph. 2. *Humorum qualitate peccantium euacuatio*, tamen non ſola qualitate peccantes humores euacuationem indicant, ſed quantitate etiam. Qualitas ſola alterationem ſolam indicat, nempe quia contraria contrarijs curantur: frigidus humor indicat calefactionem, craſſus attenuationem, viſcidus abſterſionem, lentus inciſionẽ, venenatus alexipharmacũ &c. At verò copia peccans contrariam euacuationem poſtulat: vt propterea medicina dicatur ab Hippocrate eſſe *appoſitio eorum quæ deficiunt, detractio eorũ, quæ abundant*. Cur ergo, inquies, purgatio dicta eſt a Galeno euacuatio humorum qualitate peccantium, non quantitate? nempe, vt exiſtimo, quia cũ ſanguis ſolùm excreſcit, plethora naſcitur; cum verò ceteri humores, ſequitur cacochymia, quę neceſſariò inuehit qualitatem a naturali ſanguineæ maſſę conditione alienam: vnde vel calidior & acrior fit ſanguis, bile in eo excreſcente; vel frigidior ac viſcidior, abundante pituita; vel aliam concipit qualitatem alienam, melancholico ſucco, aut ſeroſo exuperãte. Itaq; cum in cacochymia neceſſariò abundet aliquis humor præter

sanguinem, necessariò etiam qualitas noxia & a naturali conditione sanguinis aliena inducitur, ac proinde Purgatio est humorum qualitate peccantium euacuatio. Quod igitur indicat Purgationem est peccatum humoris non quantitate solùm, sed etiam qualitate. Cur, inquies, non addirur *Quantitatis* in definitione? Quia si est euacuatio, ac detractio necessariò quantitas & abundantia præsto esse debet, ac proinde tanquam nota subintelligitur, imò tanquam notissima. hæc sentio, quidquid alij sentiant. Itaque vt recta instituatur purgatio, necesse est, vt indicans adamussim perpendatur, vtq; euacuandi humoris quãtitas, & qualitas spectetur: sic enim debitum & conueniens vsurpamus medicamentum, & eius quantitatẽ definimus. Et quidem facilius est nouisse & assequi qualitatem tum humoris euacuandi, tum euacuantis medicamenti: quantitatem verò vtriusque longè difficilius. Qualitas quidem humoris ex effectu innotescit, ex morbo, ac symptomatibus: v. g. humor calidus ac bilioſus ex idæa febris cognoscitur, tertiana, vel ardenti; ex calore, siti, linguæ siccitate, rubore &c. hoc verò cognito, facillimè medicamentum accomodatum vsurpatur. At verò quantitas tum humoris, tum medicamenti, ac proinde euacuationis ipsius, longè difficilius. Et quantitatem quidem humorũ coniectare possu-

possumus ex gradu morbi: morbus intensus ex maiori humoris copia gignitur; remissus ex minori: cognoscitur ex symptomatibus leuibus, vel grauibus, ex temperamento, ætate, vita anteacta, regione, anni tempore &c. item ex ijs, quæ contigerunt in morbo, euacuationibus, vt sudore, hæmorrhagia, diarrhæa, simili. Quantitate humorum ingeniosa coniectura explorata, medicamenti quantitas indaganda. Hanc sicuti non admodum difficile est, ex materiæ quantitate coniectare, ita longè difficillimum eius operationem euacuationemque metiri ac determinare: *Eodem enim medicamento purgantur & non purgantur, quandoq; verò alia purgat, quam quæ purgare solet; aliquando nimium purgat, aliquando ea, quæ debet, facit:* vt est apud Hippocr. lib. de Med. Purg. 1. & hac potissimum de causa Galenus ait, Medicinam esse artem coniecturalem, quia scilicet coniectura vix assequi possumus ac consequi debitam peccantis humoris euacuationem. Itaque humoris quantitate ex ijs omnibus, quæ dicta sunt, explorata, quantitas medicamenti definienda, & cordatè exhibenda: nam etsi euacuatio non succedat ex voto & ex ratione, tamen *Omnia secundum rationem facienti* nihil imputari potest, aut vitio verti.

Vtrum verò quantitas humoris peccantis vnica vice per medicamentũ educenda

sit, an per plures &, vt vocant, epicrasin, tum humores, tum ægri vires definiunt. nam multus humor, viribus languescentibus vnica vice expurgandus non est, ne penitus collabantur vires, a medicamento & euacuatione perculsæ; sed satius est, pluribus vicibus repetito medicamento satis leui copiam detrahere. Imò verò ne tunc quidé tutò possumus euacuare copiosum humorem, cum vires sunt firmæ: tutiùs enim leuiori pharmaco vtemur, atq; indicatur ab humorum maxima copia, residuo verò per iteratum catharticum euacuato.

Purgatio hoc modo ac ratione facta, num absoluta perfectaque sit, nec ne, diligenter spectandum. Perfecta autē cognoscitur ex conferentia & tolerantia. nam *Si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt*, 1. aph. 23. Cognoscitur ex præsentibus, vel absentibus symptomatibus. nam si perfecta sit, euanescunt symptomata, nihil planè morbidæ materiæ relicto: econtra si quod relictum fuerit, nam ex hoc certissimæ recidiuæ, vnde scriptū est ab Hippoc. *Sitis intus relicta, oris iniucunditas, & resiccatio, cibi fastidium &c. certissima recidiua* 6. epid. 2. Itaque si imperfecta & imminuta facta fuerit euacuatio, vel repetito medicamento residuum euacuandum, vel per sudorem propellendum, vel mouendum per vrinam, vel demum absumendum parciori diæta.

Quod

Quod facit ad Tempus euacuandi, etsi materia morbifica statim ac primo quoq; tempore euacuationem postulet (quod enim noxium est, quò citiùs extra corpus pellitur, eò meliùs) tamen quia non semper neque quouis tempore apta est, vt a medicaméto trahatur, ideò expectandum est, dum talem aptitudinem adipiscatur. hæc autem aptitudo est coctio, siue coctione acquiritur, ac proinde cum cocta iam est materia, purgatio ineunda medicamento cathartico. Cum verò coctio fiat in statu morbi, eo tempore adhibenda purgatio. Coctio reuera nil aliud est, quàm mitificatio quædam materiæ & eius qualitatum noxiarum: coquitur materia cum exuit magna ex parte inimicas corpori qualitates, nimis calidas, viscidas, lentas, acres, mordaces, putridas, & induit benigniores, redditurque proinde magis obediens medicaméto attrahenti. & propterea dictum est ab Hippocr. 1. aph. 22. *Concocta medicari ac mouere, non cruda.* Fit, vt dixi in statu concoctio, hoc est, in prima eius parte, in altera fit separatio, in tertia vltimaque, quæ propè declinationem est, fit expulsio: cui respiciens Galenus dixit *Necesse est prius coctionem, subsequi separationem, demum expulsionem.* At verò cruda nullo modo euacuanda est materia, tum quia inepta est, vt obediat trahenti medicamento, tum quia natura non adminicu-

latur tali euacuationi, cum, vt diximus, ante euacuationem separet, ante separationem coquat; tum demum quia, cum cruda euacuatur, bona cum mala permista educitur vi & contra naturæ institutum, quæ retinens bonam, malam commistam etiam retinet. Oportunũ igitur euacuandi tempus est in fine status, aut principio declinationis. Imò verò satius esse duco transacto iam statu purgare, quia certiùs explorauimus naturam crisim non patraturam. natura enim in statu solet euacuare, hoc est, in pugna & quasi prælio, cum materia morbifica inito.

Ceterùm quia nihil in natura, ne dum in medicina perpetuum, constans, ac firmum est, ideò & hoc catholicum præceptum nõ semper verum: licet, imò necesse est multoties, crudam non coctam euacuare materiam: & primò quidem cum materia *Turget*, vt est in aph. 22. citato *Concocta medicari non cruda, nisi turgeat:* turgens enim materia, hoc est, vt Galenus explicat, huc illuc incerta & errabunda delata, facilè potest ferri in sanas partes, easq; morbo afficere: vnde expedit, etiamsi cruda sit, eam expurgare. Secundò cum materia est *Multa* & copiosa: tunc enim cum totã natura nequeat coquere ac domore, satius est eam ex parte euacuare, vt *Minori reddita materia* (sunt Gal. verba 2. aph. 29.) *natura fortior fit supra residuũ*, illudq;

illudq; coquere faciliùs possit &c. Tertiò cum materia est rebellis coctioni, ac planè *Incoctilis*, vt euenit in hydrope, cuius aqua nullam naturæ gratiam recipere potest. quam enim coctionẽ expectare volumus in materia, quæ sua natura coqui nequit? vnde Gal. 1. Acut. 18. *Quod potest concoqui coquatur, quod non potest, euacuetur.* Quartò *cum repit* vel potius ruit in partem principalem, prauiorem morbum minitans: vt enim futuram grauiorem affectionem euitemus, medicamento purgare oportet crudam materiam. vnde sapienter dictum est a Celso, *Neq; enim semper coctionem res expectat*, ruit nempe in principalẽ aliquam partem prius, quàm coquatur. Quintò cum *Fixa* iam est in principali parte, vt accidit in apoplexia, paralysi, & similibus: præstat enim incoctam euacuare materiã, quàm coctionem expectando, morientem ægrum spectare: cui maximè respiciens Hippocr. 2. aph. 29. *Inchoantibus morbis, si quid videtur mouẽdum moue*. Sextò addere possumus *tenues humores*, qui per initia morborum videntur euacuandi, quippe facilè obediant trahenti pharmaco, neque adhæreſcant tenaciùs bonis humoribus, vel saltem facilè separentur ab ijs, ducanturque a medicamento: quò spectans Gal. lib. Quos & Quando, *Inter initia morbi, tenues & aquosos humores euacuabis, vbi verò crassi sunt, coctionem expectabis*. Demùm

sunt

BIBLIOTECA FACULTAD DE MEDICINA

sunt qui addãt *Materiam venenatã*, quippe non possit a natura coqui. Sed hæc reuerà alexipharmacum indicat, a quo nisi dometur, purgante medicamento opus habet, nulla expectata coctione, quam vix imò ne vix quidem recipere potest.

At verò illud ego addere soleo, quod est veluti vniuersalis regula in quauis euacuatione iudicanda perutilis. Bona vel mala dicitur euacuatio, quia benè vel malè exit: ratio formalis, vt scholasticè loquar, cur aliqua euacuatio sit laudabilis, non est quia coctio præcessit, sed quia *Benè exit*, hoc est, cum conferentia & tolerantia. benè enim exit humor, cum morbum minuit, & vires non frangit. Quòd si coctio esset præcipua & formalis ratio, nulla posset accidere euacuatio bona absque coctione: at crudæ imò crudissimę euacuationes aliquando contingunt salutares ac probæ: *Deiectiones liuidæ, cruentæ, fœtidæ omnes malæ, si Benè Exeant Bonæ* est in aphorismo. crudissimæ sunt materiæ liuidæ, fœtidæq; & tamen bona est eorum euacuatio, *si benè exeat*. Concludo igitur purgationem in fine status moliendam esse, coctis nempe, separatisq; noxijs humoribus: aliquando tamen, vt accidit in septem illis casibus, etiam cruda materia initioque morbi euacuare expedit & necessarium est, cum naturam videamus aliquando benè agere, etiãsi crudos euacuet hu-

humores, vt liuidos, cruentos, fœtidos. hæc de purgationis Tempore

De Loco verò, per quem purgatio ineunda est, sic statuere oportet, *Quò natura vergit, eò ducere oportet, per loca conuenientia*: est Hippoc. oraculũ 1. aph. 21. ergo in morbis naturæ propẽsionem aduertere necesse est, siue per aluum euacuare tentet, siue per vomitum, vrinam, sudorẽ venam per has quatuor vias euacuare solet, vt est apud Hipp. in Acutis 4. *Morbi omnes soluuntur aut per Os, aut per Aluum, aut per Vesicã: verùm Sudoris species omnibus morbis communis est*: & quam innuit euacuationis viam, eam inire debet medicus, medicamẽtisq; accomodatis iuuare, a nobis superiùs allatis. Naturæ verò propẽsionem explorare possumus ex morbo, ex humore, ex ægri habitu, ac temperaméto, ex parte ægrotante, ex anni tempore, consuetudine, naturaliq; propẽsione, ac ceteris. Nam sursum euacuantur morbi, qui supra septũ transuersum continentur, *Supra septum transuersum dolores purgationem indigere per superiora significant. quicunq; verò inferiora molestant, per inferiora.* 4. aph. 18. euacuantur etiam qui materiam in stomacho continent, in iecinoris caua, liene, pancreate: nam facilè hæc ad stomachum medicamento trahitur, euomiturque. Per vomitum etiam euacuatur bilis potius, quàm pituita, quippe ea tenuitate faciliùs sursum ascen-

ascendat, hæc grauitate deorsum tendit: vnde *Aestate per superiora magis, hieme verò per inferiora*. 4. aph. 4. nempe quia æstate bilis, hieme pituita medicamento educenda. Ex ægro purgationem ineundam exploramus: nam *Graciles & facilè vomentes purgare per superiora* ex 6. aph. sect. 4. *Vomentes verò difficulter, & mediocriter benè carnosos per inferiora*. Ex temperamento, *Melancholicos infra vehementiùs purgabis*. 9. aph. Ex parte ægrotante & ab humore malè habente, *Si os amarum fuerit, vomere conducit* in Acut. Ex anni tempore, nam vt diximus *Aestate per superiora, hieme per inferiora purgandum*: licet lib. de Salubri Dieta nu. 5. dicat, *Sex menses hibernos vomendum est*, id de pituita in stomacho contencta intelligendum, docet Gal. illud verò de bile in corporis habitu redundante. De consuetudine naturalique propensione nihil dicam. nam præterquamquod consuetudo est altera natura, siue natura acquisita, vt loquitur Aristoteles, ab Hippocrate consuetis præcipitur vomitus, interdicta inferna purgatione, *Qui vomere consueuit, bis in mense vomat*, est lib. de Diæta. Et hac ratione exploranda est naturę ad vomitum inclinatio.

Ad Aluum verò tum ex dictis innotescit, tum maximè ex murmure inferioris ventris: nam ex hoc Hippocrates in Prog: futuram per aluum crisim præcognoscit, ac pro-

proinde nobis ſuſpicio inijcitur de naturæ propenſione. Animaduertendum etiam, eſt quod traditur ab Hippoc. in Acutis 64. decolores, raucos, ſplenicos, exangues, alioſq; multos eo loco vidēdos per aluum purgandos non eſſe.

Quod facit ad Vrinam, tertio loco ab Hippocr. enumeratam, naturæ inclinationem ex humoris qualitate, & morbo maximè coniectare poſſumus. nam aquoſus humor a natura facilè per eam regionem euacuari ſolet, pituita tenuior, ac bilis. Qui ergo morbi ab his naſcuntur humoribus, facilè per vrinam a natura iudicantur. Spectanda etiam ſunt alia ad hanc rem maximè conducentia, vt renum calida intemperies aliuſq; ſimilis morbus: nam hi promptè per vrinam iudicantur. Item calor capitis ægrotantis. *Cum enim caput incaluerit multum vrina emittitur*, ait Hippocr. 1. de Morbis 1. Lienis etiam, hepatiſque conditio ſpectanda eſt: nam ſæpè accidit, vt hęc viſcera affecta per vrinam euacuari deſiderent. Illud ſcire eſt, per vrinam tutam eſſe euacuationem, etiamſi vires ſint debiles. non enim vires deijciuntur ex hac euacuatione, vt ex alijs.

Quod demum facit ad ſudorem, hìc ſicuti in omnibus morbis promoueri poteſt (eſt euim omnibus morbis comminis ex Hippocrate in Acutis citato) ita ad hoc vt allicìatur naturæ propenſio ſubodoranda;

ex

ex madore quodam cutis, ac quadam humiditate coniectare. possumus, ex rara ægri textura, ex corporis bilioso ac seroso temperamento, ex ætate iuuenili, ex anni tempore calido, ex cõsuetudine, ceteriſq; huiuſmodi. De tempore quo mouendus ſit, non ambigendum, quia coctis humoribus ex parte vel ex toto promouendus eſt, & materia tum per medicamentum & phlebotomiam, tum per febrem ipſam ac naturam ex parte euacuata. nam ſi copioſa ſit materia per ſudorem, ſicuti etiam per vrinam euacuare periculoſum eſt. De ſudore verò & illud animaduertendum, deijci vires ab hac euacuatione, ac proinde diutius non molienda.

Iam verò cetera, quæ ad rectum vſum medicamentorũ ſpectant, vt ætas, natura, temperamentum, regio, &c. innoteſcunt ex dictis: nõ igitur hic inutiliter repetẽda.

De Chirurgia
Cap. 2.

CHirurgia, quæ manualem operationem ſignificat, quæq; complectitur omnia, quæ morbis curandis manu adhibẽtur, quinquepartita apud Chirurgos eſt. Prima eius operatio dicitur *Diorthoſis*, altera *Exhæreſis*, tertia *Reſtitutio* deficiẽtium & curtorum, quarta *Syntheſis*, quinta *Diæreſis*.

Dior-

Diorthosis est operatio, quæ circa formam membri deprauatam maximè versatur: sita igitur est in depræsso cranio eleuando, in attollendis concidentibus naribus, in contractis membris dirigendis, & in brachijs cruribus ve infantium distortis corrigendis. id autem qua ratione fiat, quibusque instrumentis, non hìc locus docendi, sed distinctè apud Sennertum & Chirurgos intelligendum. tyronibus enim hæc, vt ita dicam, genericè nouisse satis sit.

Exhæresis est Chirurgi operatio, per quam extrahuntur e corpore res præter naturam inhærentes & immissæ, vt sclopetorum glandes, telorum pars, spini, elapsum specillum, in aliquam partem immissum, & similia.

Tertia verò operatio versatur circa restitutionem amissarũ partium, vt aurium, labiorum, narium, de qua re nos fusè diximus in *Dissertatione de Vnguento Armario.* Debetur hæc operatio morbis in numero, atque adeò in magnitudine.

Synthesis autem, quæ est quarta operatio, versatur circa vnionem seiunctarum partium, debeturque proinde morbis solutæ vnitatis. Igitur hæc vti solet fascijs, puluillis, ferulis, laqueis, ceterisque huiusmodi, quibus firmè vnitæ partes contineantur.

Vltima operatio est Diæresis, quæ superiori contraria est: seiungit enim cõtinuum par-

parteſque vnitas. Huius plures ſunt differentiæ tum a parte ſeiuncta, tum a modo ſeiungendi: a parte vt ſcarificatio, in parte molli & carnoſa; in dura verò & oſſea perforatio, terebratio &c. A modo ſeiungendi, vt vſtio, punctio, ſectio. Nos verò, ſepoſitis hiſce omnibus alijſque operationibus, quippe ad Chirurgos tantùm ſpectantibus, vel ab ipſis diſtinctiùs petendis; eam ſolùm chirurgiæ partem attingemus, quæ & frequentiſſimè vſurpanda eſt Medico, & neceſſariò tenenda. Hæc autē eſt

Phlebotomia ſiue ſanguinis miſſio: de qua etſi implicita eſt, & omnino confuſa tum apud recenſiores, Maſſariam præſertim, Augenium, & alios; tum apud antiquos maximè Galenum: tamen breuiter, quod res eſt, Galenoque magis conſentaneum afferam. Magna lis eſt, in quibus nam morbis adhibere debeamus phlebotomiam, ſiue quid nam ſit id, quod tanquam ſcopus indicat ſanguinem eſſe mittendum: num copia ipſius ſanguinis, num potius praua eiuſdē qualitas, num demum magnitudo morbi. Huius ſententiarum diſcrepantiæ dedit anſam Galenus, qui varijs in locis variè videtur loquutus de ſanguinis mittendi ratione. Quarè aliqui cenſuerunt, ſcopum ſanguinis mittendi eſſe ſanguinis copiam, animaduertentes nimirum Galeni locum 13. meth. vbi hæc habet, *Has omnes euacuationes* (ſanguinis) in-

indicat ipsa copia, sicuti succorum vitium redundantis succi purgationem. & sanè quis id non censeret, cum apertissima sint & luce clariora Galeni verba? Alij tamen econtra sanguinis copiam minimè esse sanguinis mittendi scopum acriter contendunt, attendentes scilicet Galeni locum 4. meth. vbi ait *Sanguinis copia nõ indicat sanguinem esse mittendum*, nempe quia, vt etiam scriptum est lib. de Sang. Miss. copia sanguinis digeri potest balneo, exercitatione, tenuique diæta. Quarè alij existimant vitium sanguinis verum esse scopũ phlebot. persuasi nimirũ a Galeno 1. ad Glauconem in curatione quartanæ, vbi ait *Si vena incisa is, qui fluit, sanguis niger videatur & crassus, audacius mittendus est, si flauus ac tenuis appareat, statim supprimendus*, quod ipsum confirmat Celsus lib. 2. cap. 10. *Nam si is crassus ac niger est, vitiosus est: ideòque vtiliter effunditur*: & supra, *Si materia corrupta est nullo modo melius succurritur.* Quinimò Gal. alibi id inculcat: nam 4. de Sanit. Tuenda 4. Si cui vel propter ætatem, vel propter vires non liceat mittere sanguinem vicariam phlebotomiã substituit: ergo humorum vitium non magis purgationẽ quàm phlebotomiam indicat: idem videre est 9. meth. lib. de Sang. Miss. & alibi. Alij demum neque copiam neq; vitium sanguinis verum esse scopum censent, sed solam morbi magnitudinem. Huius placiti prin-

principem sibi adsciscunt Hipp. in Acutis text. 35. *In acutis morbis venam secabis si vehemens appareat morbus & qui ipsum habeant, in vigore sint ætatis, roburque ipsis adfuerit.* & Gal. 4. meth. citato, *Magnitudo morbi cum virtute vegeta indicat sanguinem esse mittendum.* nam omnino cõsentaneum videtur esse, quòd *Etiamsi redundantis sanguinis concursus non adsit, ad ipsius tamen sanguinis missionem cõfugimus, si morbus magnus sit, cum virium robore coniunctus*, vt est eodem 4. meth. 6. Cum igitur varij sint contrarijque auctores, variaque eorum placita de phlebotomia scopoq; mittendi sanguinis, eam nos inire debemus viam, vt seponamus eorum omnium sententias, & rem ipsam spectemus, indique mittendi sanguinis scopum hauriamus. Fingamus igitur nullum apud auctores & antiquos & recentiores de phlebotomia extare præceptũ: quid tum? an præstantissimum hoc medicinę auxilium iacere pateremur? minimè gentium. nam cum quisq; videret magnum id esse præsidium ac morbis pellendis accomodatum, magnis proinde morbis opponeret. nemo enim est, qui nesciat, magnos morbos magnis medicamẽtis curandos esse. nam, vt ait Celsus lib. 2. *Vehementi malo æquè vehemens auxilium succurrit.* Quarè sanguinis missio vnicuiq; vehemẽti morbo salutaris censeretur, siue, quod idem est, ab omni magno vehemen-

tique

tique morbo indicari: Cum verò ex alia parte purgationem etiam generosum esse medicamentum aduerteret, eaq; magnos etiam curari morbos, propterea anceps esset (quantùm ex magnitudine morbi est) quod nam ex duobus hisce præsidijs vsurparet, vt magnum morbum curaret. In hac hæsitatione prudentis medici esset, duo diligenter perpendere, Naturam scilicet, causamque morbi, & Vim purgationis & phlebotomiæ: duobus enim his optimè expensis, promptè altero relicto, alterum vsurparet. Cum verò purgantis medicamenti vis ea sit, vt humores noxios ab innoxijs eligat & educat: phlebotomię verò, vt omnes simul promiscuè extrahat; certè quiuis magnum morbum ex cacochymia profectum purgante medicamento curaret, posthabita sanguinis missione. Magnum verò morbum, ex plethora natum, aptiùs plebotomia curaret. Itaque magnitudo morbi est indicans & scopus horum duorum præsidiorũ: phlebotomię quidem magnitudo ex plethora oriunda, purgationis verò eadem magnitudo profecta ex cacochymia. *Magnitudo autem morbi*, inquit Gal. 4. Meth. *ceu scopus quidam est sanguinis detrahendi & purgationis adhibendæ*; & Celsus lib. 2. de missione sanguinis idem probat, inquiens, *Ergo vehemens febris vbi rubet corpus, plenaque vena tument, sanguinis detractionem requirit.*

Illud

Illud verò animaduertendum est, morbus magnus non semper cedit vnico medicamenti generi (nam quandoque cedit, vt testatur Gal. qui sanguinis missione se iugulasse febrim profitetur) propterea vtrumq; magnum auxilium aliquando in eodem morbo vsurpandum est. Vnde Galenus in eodē morbo & ambobus vtitur medicamentorum generibus, & alterum alteri substituit 4. de Sanit. Tuenda 4. Quarè in cacochymia, vt supra diximus, vtitur phlebotomia, non quidem, quòd primò & per se hæc indicetur a copia prauorum succorum, sed quia morbus magnus non cedit purgationi, alterum vsurpandum est generosum auxilium. quarè 4. meth. 6. *Etiamsi redundantis sanguinis concursus non adsit, ad ipsius tamen sanguinis missionem confugimus, cum scilicet morbus magnus est cum virium robore coniunctus.* Statuendum igitur est, scopum mittendi sanguinis primarium esse plethoram, magni morbi causam, magni vel præsentis vel imminentis. medicus enim vt nauta peritusque nauium gubernator non præsentes, modò morborum procellas, sed futuras etiam imminentesque tempestates præcauere & euitare debet. Secundarius verò scopus est etiam cacochymia, & ipsa vt est magni morbi causa, cum vena secta non sanguis modò, sed omnes promiscuè humores effluant. Ita igitur constituto phlebo-

botomiæ ſcopo, nullus locus eſt nō ſolùm Galeni, ſed nec Hippocratis, aut Celſi, aliorumque antiquorum auctorum, qui ab alio diſſentiat, qui amicè cum altero non coeat.

Iam verò ad ſanguinem mittendum non magnitudo ſolùm morbi copiaq; aut ſanguinis, aut alterius humoris ſpectanda eſt, ſed *ætas & virium robur*. vnde ſcriptum eſt ab Hippocr. in Acutis nu. 35. *In acutis morbis venam ſecabis, ſi vehemens appareat morbus, & qui ipſum habeant in vigore ſint ætatis & robur ipſis affuerit*. Aetas igitur iuuenilis viriumque robur præſto ſit, neceſſe eſt, vt ſanguis mitti poſſit. Quarè de ætate ſcriptum eſt a Gal. 8. meth. *At ſi vel puer, vel ſenex ſit ſanguinem detrahere non licet*. Imò verò lib. de Venæ Sect. decimum quartum annum in mittendo ſanguine pueris præſcribit, *Quarè nec pueris pertundes venam ante decimum quartum annum*. ſed de ætate ferè conſultiùs ſcriptū eſt a Celſo lib. 2. cap. 10. vbi non quæ ſit ætas, ſed quę ſint vires expendendum prępcipit inquiens. *Intereſt enim non qua ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed qua vires ſint. Ergo ſi iuuenis imbecillus eſt, aut ſi mulier, qua grauida eſt, parum valent, malè ſanguis emittitur. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & grauida mulier valens tuto curantur*. Ceterùm illud in pueris ac ſenibus grauidiſq; mulieribus moneo, parciùs in his mittendum eſſe

sanguinem, quàm morbus exigat: quod & Galenus apertè docet lib. de Vene Sect. *Minùs autem detrahimus, quàm plenitudo commonet, secundum ætatem quidem in pueris:* vnde etiam patet ipsum Galenum, quasi pristini consilij pertæsum, pueris aliquo modo phlebotomiam concedere. De viribus verò illud etiam moneo, has non prohibere etiam ex Galeno sanguinis detractionem, sed minuere siue moderare: *Postulat autem semper venæ sectio valentes vires*, inquit 9. meth., *Sed quæ modo euacuationis respondeant.* ergo vires infirmæ non planè respuunt phlebotomiam, sed temperant ac minuunt.

Præter ætatem *Corporis habitus* spectandus in mittendo sanguine, *Anni tempus, Regioque*, vt patet ex mox citato Galeni loco, vbi ait molles carne, calidosque non copiosam permittere phlebotomiam, sed parciorem, item anni tempus calidum, calidaque regio: *Minus autem*, inquit, *detrahimus, quam plenitudo commonet, secundum ætatem quidem in pueris, secundum anni tempus sub cane, secundū regiones constitutioneſq; in ijs qui calidiores scilicet, siccioreſq; existunt; secundum corporis habitum in candidis & carne mollibus, vt Galli existunt.*

Ad rectam sanguinis mittendi rationem spectant etiam *Alui conditio, oris ventriculi, bilis copia, crudorum humorum abundantia, vita antecessa, & consuetudo.*

De

De aluo constat apud Auenz. lib. 1. Tract. 8. cap. 18. non esse mittendum sanguinem aluo adstricta, quod præceptum religiosè passim obseruatur. Neq; lubrica nimis ex Hippocr. in Acutis num. 65. *At si sanguinem alicui detrahere volueris, solidam aluum facere oportet.*

De ventriculo tria sunt animaduertēda: si eius os sit imbecille, valdè sensile, præcipuèq; amara bile sit obductū, non est mittendus sāguis ex Gal. 9. meth. *Quibus amara bile os ventriculi redundat, aut imbecillum est, aut supra modum sensile,* noxia est phleb.

De bile extat Hippocratem vniuersale theorema, *Impedimentū in spuentibus cruenta anni tempus, pleuritis, bilis.* nam etiam in ijs, qui cruenta spuunt, in quibus maximè secanda vena esset, prohibetur, tum ab anni tempore æstiuo & sub cane, tum a pleuritide, quę ex Celso benigna cum fit iudiceturque per sputum, non opus habet auxilio medici; tum demum a bile redundante, quæ excandescit sanguinis freno soluta. bilis ergo prohibet phlebotomiam.

De crudis verò humoribus est Galeni præceptum 9. meth. *Si præcedat ciborum cruditas tanto tempore differre vena sectionem iubebis, quantum satisfacere tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa descendant, videbitur.*

De vita verò anteacta, cōsuetudine &c. monet id Galenus de Sanguinis Missione,

inquiens *Si qui plenitudine grauatur nec puer sit nec senex, an illi secare venam oporteat, expendes plenitudinis Qualitatem, Quantitatem, Virium robur, eorumque infirmitatem, Naturalem totius corporis habitum, Tempus, Regionem, Anteactam vitam. Consuetudinem, ac Res præter consuetudinem, actas, Quas excretiones habuerit æger, an præter solitum compescuerit; Num gracilior an crassior euaserit &c.* Hęc omnia spectanda sunt, vt de sanguinis missione determinare possimus.

At verò vt finem imponamus huic euacuationi, videndum Quantum sit per phlebotomiam euacuandum, nam An & Quomodò iam explorauimus. Quantitas definitur ex quantitate graduque morbi: atq; *Ex redundantiæ modo*, vt est apud Gal. 12. meth., *ætate, natura, anni tempore, regione, consuetudine, atque ante hæc, laborantis virtute*. ex his enim omnibus quantitas definitur: quò intentior morbus est, eò vberiùs mittendus est sanguis, præsertim si æger sit iuuenis, natura minimè apta ad transpirationem, vernum anni tempus, regio frigidiuscula aut temperata, consueuerit æger sanguinem fundere, copiosis optimisque cibis fuerit vsus, ac maximè si eius vires sint validę. Apud antiquos ad sex vsque lebras quandoq; mittebatur sanguis, vt est apud Gal. 9. meth. Aliquando verò eò vsque mittebant sanguinem, vt animi defectus induceretur. Communis

medicorũ opinio fert, antiquos nunquam mittendum esse sanguinem ad animi defectum inclusiuè, vt loquuntur, censueuisse, sed solùm exclusiuè, eò nimirum vsque dum æger leue aliquod lipothymiæ præludium præsentiret. Sed aliter res sese habet. duos animaduerti apud Galenum locos, ex quibus apertissimè constat, eos inclusisse animi defectum. Primus est lib. 4. de Sanit. Tuen. 10. vbi hæc habet, *Ac primò quidem ita mittendus est sanguis, vt animi defectum non incurrat, deinde verò ne defectus quidem ipse formidandus*. & 9. meth. in curatione continentis febris: *Est porrò febrium continentium præsidium maximum sanguinis missio vel vsque ad animi deliquium. Primùm namque in contrarium statum agitur corpus celerrimè ex animi defectu refrigeratum?* Si refrigeratur ex defectu animi, profectò iam defecit animus. Nostra verò ætate iam obsoleuit, ac meritò, copiosa hæc (ne dicam pernicioſa) sanguinis missio: sed verè pernicioſior inrepsit consuetudo, vt vix vnciolas aliqui nostri medici audeant sanguinis detrahere. Hac in re vtrumque vitandum, ac medio tutissimè eundum. Iam verò sanguis non solùm secta vena, arteria ve mittitur, sed etiam hirudinibus ano adultis, brachio pueris sæpe adhærescentibus, vt nimirum virium iacturæ prospiciatur, quæ longè minor fit per has, quàm per sectionem: & propter eandem

rationem scarificationes etiam adhibentur & cucurbitulæ scarificatæ. De modo quo aut vena arteria ve secatur, aut scarificantur cucurbitulæ, hirudinesq; apponuntur, nihil dicam. res enim est a Chirurgo perficienda. idem statuo de Cauterijs, Inustionibus, ceterisque huiusmodi, quæ imperante physico a chirurgo administrari solent. Cetera, quæ de Phlebotomia dicenda essent, tyronibus ferè incongrua sunt. hæc igitur pauca satis sunto.

De Diæta
Cap. 3.

PRæscripta ratione, & Pharmaciæ & Phlebotomiæ, quæ præcipua medicinæ instrumenta sunt, adhibendę, reliquum est, vt Diætæ rationem tradamus. Hæc adeò necessaria est, vt dixerit Gal. de Ther. ad Pis. *Omne remedium euadit infructuosum, nisi debita victus ratio connectatur*: adeò necessaria, vt sexcenti hac sola euadant a periculosissimis morbis, pharmaceutico, & chirurgico omni præsidio posthabito; nullus tamen sine hac vel leuem morbū aptè ac tutò curare possit. Romanos per sexcētos integros annos medicis caruisse, auctor est Plinius: at medicina planè non caruerunt: nam etsi neque ex chirurgia, neque

ex

ex pharmacia medicaméta ſibi aſciuerint, quippe medicis non vſi; tamen Dięta morbis accomodata vſos eſſe, mihi omnino perſuadeo, qua ſola vel maximos curabant morbos. quem veterem morem quaſi a poſtlimioio reuocans Cicero per translationem dixit Att. ep. 3. lib. 4. *Ego diæta curari incipio, chirurgia tædet.*

Diæta autem triplex eſt Plena, Mediocris, Tenuis: & vnaquæque maximè talis, mediocriter talis, minimè vel exiliter talis. Hiſce tribus diætis reſpondet triplex particulare alimentum, Cibus, Sorbitio, Potus. Plenæ diætæ Cibus reſpondet: nam plena eſt ea, in qua ea exibentur quæ manduntur, vt panis, caro, oua, &c. quæ cibi nomine comprehenduntur. Mediocri reſpondet Sorbitio. mediocris enim mediocriter cum nutriat, ea non recipit, quæ ſolidiora ſunt, magiſque proinde nutriunt, ſed ea ſolùm quæ ſubſtantia liquidiori prędita minùs nutriunt, qualia ſunt quæ ſorbentur, vt panis contritus liquidus iura cum ouis, cõtuſium carnium liquidius &c. Tenui demum reſpondet Potus. cum enim tenuis minimè omnium alere debeat, ex eo alimento debet conſtare, quod minimè omnium aptum ſit ad appoſitionem nutritionemq; cuiuſmodi ſunt quæ adeò liquida ſunt, vt potentur, vt iura carniũ tenuia, aqua mulſa, aqua hordei &c. At verò cum vnaquæque diætæ ſpecies triplex ſit, vt

di-

diximus, maximè talis, mediocriter, ac exiliter: Maximè Plena erit, quæ ex cibis constat maximè nutrientibus, vt ex carne caponum, & veruecina, auctore Galeno. Mediocriter plena ex carnibus constat gallinaces, perdicibus, hædinis, vitulinis pane &c. Exiliter demùm plena ex auiculis montanis, turdis, alaudis, piscibus saxatilibus, ouis, ceterisque huiusmodi. Mediocris verò victus ratio, quæ maximè talis est, constat ex carnibus contusis, ex iure consumpto cum vitellis ouorum, ex pane contrito coctoque in iure consumpto cum vitellis ouorum &c. Quæ verò minus nutrit, inter mediocres sorbitiones mediocris est, eritque ex pane iure cocto, pane iure madido, & in liquidiorem formam redacto, ex iusculis gallinaceis non valdè consumptis cum ouorum vitellis. Quę demum ex mediocri minimè omnium nutrit, est ex ptissana hordeacea, farre, oriza &c. Quod facit ad victum tenuem hic, vt diximus, potu absoluitur, & vt magis vel minus accedit receditque a mediocri, vel tenuissimus dicitur, vel mediocriter tenuis, vel minimè seu exiliter tenuis: siue potius dicitur extremè tenuissimus, simpliciter tenuissimus, & absolutè ac simpliciter tenuis, vt loqui solet Gal. 1. aph. 4. & alibi. Victus, simpliciter tenuis est, qui proximè accedit ad exiliter mediocrem, vt ptissana, vinum fuluum & odoratum, & vnico

ver-

verbo, sorbitio ipsa tenuior ac liquidior victus simpliciter tenuis dicendus est. Mediocriter verò tenuis, siue, vt loquitur Gal., simpliciter tenuissimus est ex simplicissimo potu aquæ hordei, melicrato, vino mali punici, vino oligophoro, qui minus nutrit quàm aqua mulsa ex Galeno. Extremè verò tenuissima dieta est omnimoda inædia, quam antiqui adhibere consueuerunt.

Iam verò hæ omnes dietæ oportunè adhibendæ sunt: nam oportunè adhibitæ mirè prosunt. Victus ratio per se ac primariò indicatur a viribus: nam alimentum ex se vires respicit, nō morbum: at verò secundariò & quasi per accidens etiam a morbo indicatur, & si non indicatur simpliciter alimentum, indicatur tamen vel qualitas, vel quantitas, vel modus, vel tempus. Itaque in omni diæta constituenda ad morbum respicere oportet. Illud vniuersaliter scire conuenit, quò acutior est morbus, eò tenuiori diæta vtendum est, quò longior, eò pleniori. Quarè in acutissimis morbis vel omnimoda inædia, vel solo potu vtebantur antiqui: in morbis minùs acutis, paulò pleniori vtebantur; in adhuc minùs acutis adhuc pleniori, & sic deinceps: adeò vt in cronicis longisque morbis cibo vtetentur etiam eo, quod maximè nutrire diximus. Et non solùm morbus morbi ve idea spectanda est, sed etiam peculiare

eius

cius tempus. nam in principio morbi, quo tempore natura non ita pugnat contra morbum, pleniori alimento vti possumus, in augumento subtrahendum, quia pugnare iam cepit, in statu adhuc magis subtrahere, quia maximè pugnat, non enim auocare debemus naturam ab opere exhibito alimento. hoc autem de vniuersali tempore intelligendum: de particulari verò extat apud Hippocr. lex inuiolata, *In Accessionibus abstinere oportet. nam cibum dare noxium est.* Habenda etiam est ratio ætatis, corporis habitus, temperamenti, consuetudinis, regionis, anni temporis, constitutionis: nam iuuenibus plus exhibendum, quam senibus, & adolescentibus plus quàm iuuenibus. Largæ texturæ præditi plus edere debent, strictæ verò minùs. Bilioſi copioſiùs, quàm pituitoſi. Aedaces plus, quàm ſobrij. In calidis ſicciſque regionibus plus quàm in frigidis humidiſq;, ſecundum vices, non ſecundum copiam. Hyeme plus, æſtate minus, ſed ſępiùs. Pluribus hic non agam de Victus ratione, cum plura in quæſtionibus dicturus ſim; Deo Opt. Max. adiuuante, cui ſempiterna ſit laus & gloria, qui noſtrum illuminet intellectum, vt oportuniora ac vtiliora tyronibus alijſque affere poſſimus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE FACVLTATIBVS MEDICO Neceſſarijs, Vtilibus, Cõmodis PROLVSIO HABITA A PETRO SERVIO Cum Medic. Theor. Ordin. IN ROMANA ACADEMIA Publicè Profitendi Munus Suſciperet.

ROMÆ, Ex Typographia Bernardini Tani. 1638.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

FORTVNIO. LICETO

OLIM. IN. PISANA

DEINDE. IN. PATAVINA

NVNC. IN. BONONIENSI

ACADEMIA

PHILOSOPHO

PRIMARIO. ET. EMINENTI

OMNI. SCIENTIARVM. GENERE

INSTRVCTISSIMO

CLARISSIMO. LITTERARVM

LVMINI

NESCIO. DICAM. AN

NVMINI

CERTE

ERVDITORVM. NOSTRAE. ITALIAE

PHILOSOPHORVM. NOSTRI. SAECVLI

CORYPHAEO

PETRVS. SERVIVS

D. D. D

Digitized by Google

DE FACVLTATIBVS MEDICO Neceſſarijs, Vtilibus, Commodis PROLVSIO HABITA A PETRO SERVIO.

VEteri cõſuetudine receptum eſt (Eminentiſs. Cardinalis Illuſtriſſimi Præſules, Voſq; ceteri nobiliſſimi viri) vt qui facultatem aliquam publicè profiteri aggrediuntur, eò primùm cogitationes omnes induſtriamque dirigant, vt eius nobilitatem ac pręſtantiam, vtilitatem atque emolumentum pro ſuis quiſq; viribus extollendo, auditores ad eam alacriùs capeſſendam amoris igniculo inflamment. Ego verò etſi huiuſmodi conſuetudinem maximi ſemper faciendam duxi; cum honeſtarum artium dignitatem & amplitudinem inſerere in hominum animos, laudandum imprimis honeſtumque putauerim: tamen oleum, vt dici ſolet, operamque me perditurum exiſtimo, ſi eius, quam docendam ſuſcepi, facultatis laudes enarrare, nedum exornare tentarem. Vetat enim tenuitas mea, ingenijque exilitas,

atque adeò inculta agreſtiſque minerua; quæ rhetorum floribus nunquam exornata, oratorio lumine ſemper obſcura, non modò pro dignitate Medicinam dicendo non illuſtraret; ſed (quod æquè verẽdum eſt) proprio eam natiuoque ſplendore ſua balbutie ſpoliaret. Vetat, imò verò ab hoc audendo me plane deterret, ipſius artis præſtantia & amplitudo. Nam etſi, vt Callimachus Cirenæus dixit, *Facilè eſt omnibus Apollinem laudare, in quo tot tantaque laudum argumenta ſint:* & vt Socrates ait Phedro, *Athenienſes Athenis laudibus ornare, haud cuique difficile eſt:* quia quæ quiſque amat, ea libentiſſimè laudari audit: tamen cum probè nouerim, *Mei quid valeant humeri, quid ferre recuſent*, etiam apud vos verè φιλιατρους ampliſſimas Medicinæ laudes fermè ſilere decreui. Itaque oportuniùs me facturum putaui, ſi in prima hac mea Proluſione non tam quæ ſit Medicina, quàm qualis eſſe debeat Medicus, quibus diſciplinis inſtructus, quibus moribus, quo genio & ingenio exornatus breuiter ediſſeram. In quo ſanè minimè vereor, ne, ſi eum effingam exprimamq; medicum, cuius in animo inſidet ſpecies, tardem ſtudia multorum, atque deſiderij igniculum reſtinguam. Nam, vt Oratorum maximus Tullius ait, Par eſt omnes omnia experiri qui res magnas concupiunt. Quod ſi quem aut natura, aut ingenium fortè defecerit,

aut

aut minùs instructus sit aliarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit. Nam *Prima ac summa sequentem honestum est in secundis ac tertijs consistere*. Non Homero soli aut Pindaro locus est, sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos: Nec simulacro Iouis Olimpici, aut Coæ Veneris pulchritudine deterriti reliqui statuarij, minùs experti sunt, quid efficere, aut quò progredi arte possent. Mente animoque vnusquisq; comprehendere debet perfectum numerisque omnibus absolutum medicum, & pro suis quisq; viribus imitari. Quòd si summum artis fastigium minimè pertingat, ferendum omnino est, dummodo summum illud semper spectet, in eoque defixus, ad illius similitudinem cogitationes omnes studiumque dirigat.

Et verò multiplices sunt variæq; facultates, in quibus tanquam in tyrocinio versari debent medicinæ sacris initiandi. Neq; vt Iureconsultis & Philosophis humaniores litteras aut negligere licet medicinæ candidatis, aut primis modò labris degustare. Nam, vt magnus tempestatis nostrę ait Orator, *Medicina inexplicabilem habet, cum eruditione, cum graca latinaq; litteratura coniunctionem*. Sanè cum medicinæ patres græcè latinèque loquuti sint, nisi harum scientia linguarum polleamus, necesse est, vt identidem hæsitemus in hauriendis ex

eorũ quasi fontibus salutaribus præceptis, vt turpiter labemur in sententijs assequendis, vt quos candidè ac doctè scripsisse fama est, non sine maximo detrimento abijciamus. Græca verò litteratura adeò vtilis est medico, vt ex huius ignoratione artis ignorantia ferè consequatur. Cæcutimus in morborum cognitione, hallucinamur in simplicium medicamentorum scientia, in anatome turpiter offendimus, in omni denique medicina in fœdissimos ignorantiæ scopulos impingimus, nisi e Græcia lumen affulgeat, salubrisque expirans aura prosequatur. Cũ enim nomen ipsius rei apertissimus sit index, eiusque naturam primo patefaciat: cumque horum pleraque, ne dicam omnia, græca sint, sanè nisi græcam linguam probè teneamus, in artis caligine versemur necesse est.

Neque verò linguarum tantùm cognitionem assequi debet medicus, sed ceterarum etiam artium, quæ, quia ad humanitatem informant animum, humaniores appellantur, scientia pollere. Scio equidem complures esse, qui negligant harum cognitionem, quippe nulla aut medicinæ aut philosophiæ affinitate coniunctam. Sed si, quod res est, ingenuè licet proferre, apertis verbis pronuncio, eos fœdissimè hallucinari. Nam si in omnibus artibus illud cuique propositum esse debet, vt eos, qui omnium optimi ac summi esse

cen-

censentur, imitetur; vtiq; eò incumbendum est, vt encyclopediam, variarum nempe scientiarum cognitionem assequatur. Aristoteles, probè nostis, Galenus, Celsus; & ex recentioribus Scaliger, Cardanus, Mercurialis, quos sicuti nostra genuit Italia, ita ijs ferè audeo comparare, certè anteponere ceteris omnibus aliarum gentium viris magnis, non calluerunt modo politiores litteras atq; encyclopediam, sed scriptis etiam illustrarunt. Neq; enim, vt dicam cum magno Scaligero, *Scientiæ minores a superioribus suapte natura disiunctæ sunt, sed ingeniorum tantum imbecillitate dissociari solent.*

Et verò, vt *a.* Poesim & *b.* Historiam tanquã certiora & a Gal. laudata missa faciam, *c.* Rethorica, quę longiori a medicina disiuncta videtur interuallo, arctissimo quasi vinculo consociatur. Quid enim, obsecro vos, in medicina facienda aut frequentiùs nobis accidit, aut salutariùs contingit ægris, quàm mæstos solari, timentes erigere, iratos demulcere, alienatos allicere, obstinatos mollire, furentes cõercere, desperatos reuocare? Sicuti enim machinas, aliaque instrumenta bellica ad expugnandas arces admo-

a. Gal. 2. de Antidotis. & 1. de Comp. Med.
b. Gal. 4. de Loc. Aff. & lib. de Sectis.
c. Soranus in Isag. Isidor. 4. & Imol.

uemus; ita rationibus argumentisq; rheterum arte concinnatis, repugnantem ægrorum animum expugnamus. Videbis pleroſq; quoduis medicamenti genus aſpernantes: leue vituperantes, tanquam inane; forte reſpuentes, tanquam noxium; mediocre renuentes, tanquam inutile: quibus tamen prudens medicus dicendi perſuadendique arte instructus appoſita quadam & ex arte concinnata oratione fortia, leuia, mediocria facilè perſuadet. Noſtis, Auditores, Ariſtotelem, philoſophia pariter, & medicina præſtantiſsimum, curanti medico, medicamentaque proponenti reſpondiſſe, *Noli mederi mihi, ſicuti bubulco aut foſſori aliquo; ſed prius ediſſere, atque edoce, cur hoc facias, illud omittas: ſic enim me obſequentiſſimum habebis.*

Iam verò gradatim medicus a Rethorica humanioribuſque litteris ad *d.* Dialecticam aſcendet. in qua accuratiſsimè verſandum, tum quia definire debet identem, æquè diuidere, ſubtiliuſculè argumentari, publicè profiteri, priuatim cum medicis congredi, artificioſè ſcribere, ceteraq; præſtare, quibus niſi Dialectica ſternat viã, ſæpe ſæpius impingat, medicus, turpiter offendat,

d. Gal. 1. meth. & lib. de Sectis.

Digitized by Google

dat, ac perniciosè labatur necesse est.

Dialecticæ tyrocinio exacto, vastum philosophiæ campum ingressuris Aristotelis Manibus litandum. Et sanè si quæ est facultas medico necessaria, si qua in re sedulo accuratèq; versandum est medico, in philosophia certè versandum. Quid enim (obsecro Vos) aliud est medicinæ operam dare, quàm in perpetua philosophia rerũq; speculatione versari? In corporis constitutione noscenda inhæret medicus in sanitatis conditione assequenda inuigilat, in temperamento intelligendo innititur, in explorandis morbis versatur, in causarum cognitione insistit, in omni denique speculationum genere elaborat. Omnium elementorum vires, ignis facultates, aëris conditiones, aquæ proprietates, terræ passiones explorat. Generationum ferè omnium, & alterationum scientiam callet: mistorum naturam, herbarum, plantarũ, seminum, florum, metallorum omnium, lapidum, omniumque penè mineralium vires indagat. Horum medicus nisi clarissimo scientiæ lumine fulgeat, obscurus lateat in omni medicinæ genere; caliget ac planè cecutiat in quouis opere medico necesse est: & vt verbo dicam, imò dicam cum magno Scaligero, *Medicus φιλόσοφος, cortex est sine nucleo.*

Iam verò in hisce omnibus disciplinis tanquam in præludio versatus tyro, in

Asclepiadeam familiam, medicinæ sacris initiandus concedet. Et in ipso quidem, quasi artis vestibulo Anatomen offendit & Herbariam, vtramq; adeò medicis necessariam, vt illius ignoratione, morbos ipsos ignoret, sit necesse: huius verò nisi exacta præsto sit scientia, neque morbos pellere, neque tueri possit sanitatem.

Et de Anatome quidem certum est, accuratissimè eam explorandam esse, non solùm vt corporis humani, quod est omniũ maximum naturæ miraculum, structuram intimè explorans, mirificam partium varietatem, inexplicabilem sympathiam, mutuumq; consensum indagans, vsum cuiuscunque atq; munus inuestigans, ac deniq;, vt verbo dicam, vix humana mente comprehendendum totius mundi compẽdium mirabundus intuens, Deum ipsum tanti operis opificem noscat ac veneretur; sed etiam vt laborantes partes, affecta infectaque viscera, morbos denique ipsos deprehendat, & ex arte depellat. Quemadmodum enim Dux nisi prouinciæ geographiam probe teneat, vrbium oppidorumque situm exploraverit; arcium munitiones; viarum, ac fluminum exitus; montium valliumque naturam cognouerit; neque exercitum benè ducere, neque ex arte instruere acies, neque hostes tutò inuadere, neque inuasos intrepidè fundere, neque fusos cautè insequi potest. Ita medicus, nisi opti-

optimè nouerit noſtri corporis partes, ſtructuram, ſitum, connexionem, vſum, cetera, neq; ſanitatis arcem tueri poteſt, neq; morbos, ſanitatis hoſtes profligare.

Vſu venit ſæpiſſimè in medicina facienda, vt in morbis intimè latentibus hæreat medicus non in curando ſolùm, ſed in cognoſcendo morbo, imò verò alterum pro altero deceptus accipiat, vt de ſe ipſo ingeuuè fatetur Galenus. Cui tamen incommodo oportunè ac tutò ſubcurrit anatomia. Nam, vt Galenus affirmat, *Morbi qui in imo corpore delitescunt, exercitata cognitionis in arte secandi virum desiderant.*

Anatomen excipit herbaria, hoc eſt, ſimplicium medicorum exacta cognitio. Quorum ſanè ſicuti vaſta propemodum, & infinita eſt vbertas & copia, ita oculata cognitio minimè neceſſaria. Etſi enim in medicina facienda nihil honorificétus medico, nihil ægroto eſſe poteſt vtilius, quàm magnam medicorũ vim, vberrimam præſto eſſe aut ſimplicium aut compoſitorũ, quę ex ſimplicibus & conſtant & pendent, medicamentorum copiam: tamen eorum formam, figuram, colorem, & vt verbo dicam, quaſi liniamentum & habitum de facie nouiſſe, aut ſuperuacaneum medico, aut minimè neceſſarium arbitramur. Pharmacopolæ partes ſunt, oculis ea internoſcere, e terra pululantia animaduertere, adoleſcentia attendere, adulcta ſpectare,

virentia ſiccaq; probè noſſe. Medicis verò ſatis eſt, cuiuſque naturam exactè tenere, qualitates vireſque explorare, temperamentum & gradus, vires omnes ac proprietates introſpicere. Neque enim is aute terra euellere debet herbas, aut auulſas tundere, coquere, exprimere, in ſuccum denſare, in ſyrupum condere, in emplaſtrum efformare, ſed a perito artifice efformatas oportunè adhibere. Herbaria ſciētia ſibi medicus comparata ad Aſtronomiam, Arithmeticam & Geometriam animum, ſtudiumque conuertere debet. Et de duabus quidem poſterioribus, Arithmetica & Geomatria, ſatis conſtat, Hippoc. Teſſalo filio præcepiſſe, vt ſedulam vtriq; operam daret, non ad ſplendorem tantum ornatumq; vitæ, ſed ad vſum medicinæ oportunum. Arithmeticæ quidem ad morborum periodos criſeſq;, Geometrię verò ad partium ſitum luxationeſq; cognoſcēdas.

De Aſtrologia verò non ita cenſendum eſt, vt quæ de Iudicijs agit, ad vitam fortunamque pertinentibus, aut vtilis aut neceſſaria habeatur. Scio medicorum nonnullos, Philoſophorum pleroſque, Aſtrologos penè omnes apertiſſimè reclamare, meq; inſcitiæ ſimul, & impudentiæ reum facere. Ceterùm illatum crimen vno eoq; certiſſimo argumento diluere conſueui. Hippocrates ille omnium, qui ſunt, quique fuerunt, aut futuri ſunt medicorum doctiſ-

ſimus;

simus; Ille medicinæ genius, philosophiæ oculus, scientiarum dæmon; Ille qui Galeni testimonio, philosophorum ac medicorum princeps est; Ille, qui, vt ait magnus Scaliger, *In medicina & philosophia penetrali est, quò nonnisi initiati accedunt, & qui a se spernant profanum vulgus & arceant.* Ille, qui, vt est apud Macrobium, *Tam fallere, quam falli nescit;* Ille, cui, si Auicennæ credimus, *Omnibus in rebus standum est, etiamsi alij philosophi aut videant, aut probent, aut experiantur contrarium.* Ille, quem ob medicinæ præstãtiam a Dijs oriundum crediderunt antiqui. Ille, quem cum Reges Persarum auro ad se allicere non potuissent, terrestri naualiq; exercitu e Græcia in Persiam abripere minitati sunt; Ille demum qui arte, ingenio, iudicio prope diuino statuis aureis decoratus in Diorum numerum relatus est. Ille, inquam, Hippocrates Astrologiam minimè callens a medicina planè ablegauit & longissimè exsulare iussit. Etenim in vniuersis eius operibus, quæ 60. ferè numero sunt, nullam Astrologiæ, aliquam tantùm Astronomiæ, hoc est, Pleiadum, Arcturi, Canis, Aequinoctij, Solstitijq; mentionem facit. Si ergo Hippocrates talis, qualem audiuistis, medicus fuit, Astrologia omni ablegata, Astronomia tantùm contentus, non est cur medico eam necessariam esse putemus; non est cur de eius necessitate tantæ excitentur tragœdiæ. Itaq;

Itaque longè oportuniùs ſuis rationibus eos conſulturos exiſtimo, qui, poſthabita fucata fallacique aſtrologia, ad medicinæ Theoreticen, quæ leges omnes, certiſſima dogmata, ſaluberrimaque præcepta comprehendit, a meque pro virili explicanda animum appellent. Et verò ſiue iucunditatem huius artis, ſiue vtilitatem ſpectemus. (liceat aliquid medici gratia de medicina adiungere) attento animo, ſummo ſtudio, omnibus ingenij viribus in eam incumbendum intelligemus. Quid enim, obſecro vos, vtilius homini, quid iucundius poteſt accidere, quàm rerum cauſas nouiſſe? Quid humanus animus ardétiùs ſitit, quam res certiſſima ſcientia comprehendere? Ego ſanè illud vulgò dictitare ſoleo, ac palam profiteri, Ceterarum penè omnium facultatum fucatum eſſe ac veri ſpecie mentitam ſcientiam: ſolius medicinæ eſſe certam, ratam, compertamq; cognitionē. Neque putetis, Auditores, me aut medicinæ aliquid liberaliter tribuere, aut diſcipulorum auribus blandiri. Nam perſuaſum habeo, hominum mentem in philoſophia planè hallucinari, in aſtrologia ſemper ſomniare, in alijs ferè omnibus quaſi delirare. Licet hoc apertè intelligere? Conuertite animum ad ſingula. (Neque enim ſalto extra chorum, non aberro a re propoſita:) In philoſophia nihil ratum, nihil conſtitutum. Philoſophi in ipſo ſcientię

li-

limine offendunt: ipſa rerum principia, quę omnium maximè explorata eſſe deberent, adhuc hæſitãtes & incerti in dubium reuocant. Alij nempe, Ariſtotelem ſequuti, rerum omnium Principia materiam quandam eſſe putant, quam æquè ingenui & ignari fatentur omnes, nec animo ſe comprehendere poſſe, nec verbis exprimere: *Non eſt quid neque quale, neque quantum, neque aliud ex his, quibus ens determinatur*. Nimirum quid non ſit hæc materia, apertiſſimè ſe ſcire profitentur; quid verò ſit, certiſſimè ignorare declarant. Alij Democrito credẽtes rerum principia atomos eſſe opinantur. Alij Pherecydem audientes, terram eſſe cenſent. Alij Taletem ſequuti aquam conſtituunt. Alij aërem, Anaximeni addicti. Alij ignem Heraclito. Alij demum Empedocli 4. elementa aſſeuerant. Verùm enim verò, hanc philoſophorum inconſtantiam, ac de ipſis proprijs diſſentionem, vel potius ignorãtiam, facilè feremus, ſi Aſtrologorum titubantiam attendamus. Hi namq; non in compoſitione ſolùm ſtructuraque cælorum caligant; non ſolùm hæſitant in facultate ſtellarum, in figura, in ſitu, magnitudine, interuallo; Sed in ipſo etiam orbium motu, quem ſenſu oculiſque videmus, incerti fluctuant & altercantur. Scitis, Auditores, ſolem trium millium, eoq; amplius annorum ſpatio, iuxta præclariſſimorum Aſtrologo-

logorum ſententiam, omniumque oculos perpetua vertigine circumactum, circa terram rotaſſe. Terram verò ſuis libratam ponderibus ſemper ſtetiſſe, ac veluti radicibus defixam hæſiſſe. Repente verò extitiſſe Copernicum, qui non minùs Nicetam, Horpheum, ac Philolaum imitatus, quàm Ioſuen æmulatus; ſolem ſtare iuſſit, terram perpetuo motu cieri. Nempe apud Aſtrologos non ſolùm incerta ſunt, quæ animo comprehendi ſolent, ſed etiam quæ ſenſu ipſo oculiſque videri. De metaphyſicis verò, nihil dicam. Quì enim fieri poteſt, vt de abſtractis entibus, de puris illis mentibus a mortali concretione ſeparatis, ab omnibus ſenſibus, imò a cogitatione longè diſsitis aliquid ſe ſcire poſſe confidant? cum ea quæ manu terunt, vident oculis omnibuſque ſenſibus deprehendunt, nec intime nec extime cognoſcere poſsint. Sola, mihi credite, medicina eſt, in qua humanus animus rerum cognoſcendarum ſtudio ductus, poſsit oblectari. Hæc namque certas rerum cauſas nouit, abdita ſcienter explorat, exploratè cognoſcit, intima quæq; patefacit, in naturę penetralia peruadit.

Video, Auditores, veſtrum, pleroſque animo ſubridentes, hæc aut perſonę, quam ſubſtineo, tribuere, aut naturæ meæ ſimplicitati condonare. Verùm ſi per tempus liceret, ſi per patientiam veſtram, ſi per pro-

propositum mihi argumentum; paucis id, ijsque apertissimis ostenderem. Sed ne vel benignitate vestra, vel re proposita licentiùs abutar, argumentis, experimentisque posthabitis, solùm affirmo, si Vos, Viri Philiatri, enarratis omnibus disciplinis instructi, Latina scilicet litteratura, Philosophia, Herbaria, Anatome, quæ prorsus necessaria sunt medicinam facturo; Græcis litteris & Astronomia, quæ vtilissima; Arithmetica, Geometria, Rethorica, Poëesi, Historia, quæ reuerà commoda solùm videntur; si, inquam, hisce omnibus disciplinis instructi præclarissimam hanc artem, cognitione certam, studio iucundam, quæstu vtilissimam, vtilitate salubrem studiosè colatis, futurum spero, vt vos ad artis culmen euadatis. Et quidem id vobis enitendum esse, primò quidem suadet medicinæ dignitas, eorumque præstantia, qui eam exercuerunt; deinde hortatur summa sūmi Pontificis, & Cardinalis Barbarini in Academiam propensio, demum impellit vtilitas maxima, quæ inde consequitur. Etenim artem colitis ingenuo viro dignam, Principe dignam, Rege dignam. Exploratum namque apud vos esse existimo, non Mithridatem solùm Ponti ac Bitiniæ Regē, medicinæ operam dedisse; non solùm Isinam Scotorum Regem, Constantinum IIII. Orientis Imperatorem, Theosophum Regem Corinthi,

Za-

Zamobxem Thraciæ Regem; sed ipsum Magnum Alexandrum Macedonem medicinam exercuisse præscriptis ægro medicamentis: Ipsum Dionysium Siracusanorum aut Regem aut Tyrannum sectiones, vstiones, ceteraſque curationes ex arte præcepisse. Hi namque non solùm exemplo monent, sed hortantur etiam, atque adeò cogunt, vt alacri animo, summoque studio in artem incumbatis. De perpentione verò Vrbani Pontificis omnium Optimi, omnium Maximi in nostram Academiam, nihil dicam, re ipsa loquente. Nam sicuti omnium scientiarum genere instructissimus est, sicuti augustissimum est sapientiæ theatrum, in quo Vrbs, Italia, Europa vniuersa miram scientiarum encyclopediam spectat ac stupet; ita nihil potius habet, nihil antiquius, quàm ingenuas artes extollere, academias fouere, studiosos erigere. Quæ imitatus Eminentissimus Cardinalis Barberinus, patrui Pontificis & genij & ingenij expressa imago, doctrinarum patronus, littaratorum Mecænas, humanitatis idea, comitatis exemplum, religionis vindex, ita incumbit in hanc curam, vt omnem moueat lapidem, nostræ vt consulat vtilitati. Commoda demum ac fructus, qui inde consequuntur, noctiores sunt, quam vt a me sint enarrandi. Nam neminem esse puto qui nesciat, complures medicos recensitis præsertim discipli-

plinis ornatos, honores summos, ac dignitates; auri argentique vim maximam sibi comparasse. Scitis Policletem ob Phaleridem sanatum aureas crateras, phialas ex purissimo auro gemmisque contextas, & atticorum aureorum quinquaginta millia a Rege donatum fuisse. Scitis Erasistratum a Phtholemeo Rege ob seruatum Antiochum patrem quindecies millibus aureis donatum. Scitis Antonio Musæ ob restitutum Augustum statuam in templo prope Aesculapium a Senatu positam. Scitis Cassios, Calpurnios, Asuncios, Albutios, Rubios Romanos medicos ducēta quinquaginta sextertia annuatim mæruisse. Scitis Anaxagoram Argiuorum Regem cum Melampo medico partitum fuisse Regnum, feminis a melancholia & furore vindicatis. Et ne in antiquis recensendis tempus conteram, recentiora tantum aliqua in memoriā reuocabo. Ludouicus XI. Galliæ Rex Iacobo Cocterio medico mēstruum dabat stipēdium decem aureorum millia; Ludouicus Patauinus medicinæ præstantia sibi aditum aperuit non ad aulam modò, sed ad animum Augenij IIII. Pont. Max. a quo honorificentissima legatione in Angliam missus fuit, Dux constitutus exercitus pontificij, ac demum in Cardinalium Collegium cooptatus. Vincentius Laureus medicus eximius a Pio V. primo quidem Ecclesiæ Montis Regalis præ-

præpositus fuit, mox apud Sabaudiæ Ducem, deinde apud Sigismundum Regem Poloniæ, demum apud Henricum Galliarum Regem Nuncij munere functus a Gregorio XIII. amplissima Cardinalium dignitate insignitus fuit. Petrus Vlissiponensis, excellentissimus medicus, Episcopi primo insignia meruit; deinde Cardinalitū purpura decoratus; Demum ad Pontificatum euectus vocatusque Ioannes XXII. Putatis, Philiatri, hæc exilia esse & exigua præstantis, & a me descripti medici præmia? An non ignauissimumquemque & socordem hominem hæc inflammare possint ad scientiam capessendam? Video, herculè, vos condatos esse, animo alacres, ingenio pollentes, industria paratos, ac proinde eos omnes, quos a mox effecto formatoque, medico progressus expecto, pollicentes. Dixi, Auditores, de ijs omnibus disciplinis, quæ aut necessariæ medico, aut perutiles, aut commodę esse videntur; Dicam oportuniori tempore (non enim diutiùs Tua, Eminentissime Princeps, Vestraque Illustrissimi Præsules, abutar patientia.) Dicam, inquam, in solemni studiorum instauratione de natura, de moribus, deque omni philosophia morali medico necessaria.

DIXI

PE-

Digitized by Google

PETRI SERVII

PROLVSIO
Iatrophilologica

An Iuuenis Esse Possit Absolutus Medicus

Et ad Faciendam Medicinam Plane Idoneus

ROMÆ,
Ex Typographia Bernardini Tani. 1638.

Superiorum permissu.

Digitized by Google

GABRIELI NAVDÆO
REGIS GALLIÆ
CONSILIARIO

Eiusdemque Oratorum apud Pont. Max. Medico Ordinario

Petrus Seruius S. P. D

TEnuis scriptio, Naudæe, & per se obscura lucem a luce tua, omnium clarissima, mutuari gestit. Multa sunt, quæ id suadent, hortantur, impellunt: humanitas tua singularis, cum singulari comitate, morumque suauitate coniuncta; mira eruditio, ac doctrina; & mutuus inter nos amor ætate, consuetudine, genio ad litteras pari (vtinam ingenio) & peculiari quadam sympathia naturæq; consensu firmatus. Itaque non vereor, ne non hæc, quæcunque sint, amoris summi erga Te mei argumenta amanter a Te, humaniterque excipiantur, & quam ex se dignitatem splendoremque non habent, clarissimo tuo nomini inscripta consequantur. Vale. Romæ Prid. Kal. Aug. 1638.

PE-

Digitized by Google

PETRI SERVII
PROLVSIO
Iatrophilologica

An Iuuenis Esse Possit Absolutus Medicus.

1. APud omnes inualuit opinio, apud doctos indoctosque, Medicum eiusmodi debere esse,

---- Cui plurima mento Virg.
Canities inculta iacet ----

nam cum *Medicinam citò addiscere sit impossibile*, quippe quæ experimentis nitatur, fulciatur exercitatione, vsuq; comprobetur, senectute maturum debere esse medicum necesse est. Et verò inficiari non potest, quin Hipp.

Senectus omnia doceat, moraq; temporis, eaque Sophocles.
Tum recta demum sapere nos primum doceat. Stobæus.

2. Accedit, quòd iuuenis prudentia caret, carens experientia, quæ ex Aristotele 6. Ethicorum tempore indiget. Vnde sapienter a sapientissimo Solone lege cautum fuit, ne quis admo- Stobæus.

modum iuuenis ad Rempublicam accederet, eiusque gubernacula tractaret: nempe quia iuuenis omnia tumultuosè agit, arbitrio potius, quàm ratione ducitur, incerta & vacillans plerumque fertur sine scopo & mutationibus obnoxia est. Quarè meritò ab Horatio iuuenis describitur.

Eie.

Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,

ac proinde imprudens & ignarus: e contra verò senex gnarus ac prudens rebusque omnibus gerendis idoneus a sapientibus habetur, quippe cui

Ouid. *Multa vetustas scire dedit.*

3. Præterea si verum est, vt verissimum esse fatetur omnes, id summo ac perpetuo medicinæ dictatore e tribunali sapientiæ promulgante, *Vitam esse breuem, artem verò longam*; quis est tam hæbes & pinguis, quis adeò indulget iuuentuti, qui existimet, eam esse aptam medicinæ faciendæ? Sanè vita breuis est artis longæ comparatione, & ars longa, si conferatur cum vnius hominis vita. vnde fieri non posse verisimile est, vt tenera immaturaq; ætas artem adeò longam sibi comparare possit. Quarè Magnus Hippocrates in Epistola ad Democritum, *Ego*, inquit, *ad finem artis non peruenì etiam si senex sim.*

Gal.

4. Illud

4. Illud etiam exploratum esse debet, quod ab Aristot. in Moralibus scriptum est, *Medicus non fit ex libris*; sed vsu, exercitatione, experientia, quę diuturnitate temporis opus habent: nam reuera

---- Seris venit vsus ab annis Ouid.

& quidem vsus & experientia ab seris venit annis; acproinde qui diutiùs viuit, prudentior euadit, vsuque præstantior. Etenim *Vsus, res, ætas semper aliquid apportat noui,*

Aliquid monet: Terẽtius.

vnde qui ætate longiùs processit, vsu magis præstat, ac faciendæ medicinę magis aptus.

5. Iam verò si res medicæ & militares simillimæ sunt, simileque prudentia ambæ geruntur, vt constat vel apud Liuium, *Duces vt medici sæpe nihil agendo multùm proficiunt*; profectò nullus esse potest idoneus medicus, nisi qui ætate ac senectute, vsu atque experientia artem sibi comparauerit. Nam rei militaris nullus esse potest verè gnarus, qui naturæ ac virtuti vsum non adiunxerit: vt Antigoni testimonio liquet, qui interrogatus, Quem e suæ ætatis Ducibus præstantissimum iudicaret, *Pyrrhum*, inquit, *si seneſceret*: censebat nimirum prudentissimus Antigonus, tantam Duci lib. 23

Plutarchus.

ex ætate acceſsioné fieri, vt Pyrrhus, etiamſi omnium præſtantiſsimus haberetur, quia tamen non adhuc arte conſenuerat, ideò non omnium eſſe optimum, ſed facilè futurum, ſi virtuti ſenium accederet. Quarè mirum in modum Stobæus Taſſum laudat, qui dictitare conſueuit, *Nihil ſapientius eſſe experimento*, & nos meritò laudare poſſumus Cæſarem cuius tritum ſermone prouerbium: *Vſus eſt omnium rerum magiſter*: & Cicer., *Vſus frequẽs omniũ magiſtrorũ præcepta ſuperat.*

lib. 2. de B. C.

lib. 1. de Or.

6. Quinimò & illud ſatis ſuperque videtur ſuadere, iuuenem numeris omnibus abſolutum medicum eſſe non poſſe, quòd multiplici facultatum genere medicus inſtructus eſſe debeat, Philoſophia, Anatome, Simplicium, compoſitorumque medicamentorum ſcientia, Mathematica, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Rhetorica, Hiſtoria, græca latinaque litteratura. Quæ quidem omnia cum nonniſi longiſſimo tempore, ſummo labore, maximaque corporis animiq; contentione comparari poſſint, profectò ſequitur, vt qui non multùm ætate profecerit, neque multùm arte proficere poſſit; vt qui ætate adhuc adoleſcit, etiam arte omnino adoleſcat. Et verò quis eſt, qui valetudinem

vi-

vitamq; propriam tam parui faciat; quis est, quē sanitatis ac diuturnæ salutis adeò pertęsum sit; quis, quē diutius viuere tā pœniteat, vt se suamq; valetudinem, vitam ipsam iuueni medico concredere velit? Profectò

------ *Iuuenilibus annis* Ouid.
Luxuriant animi, -------

& in ea ætate pro sua quisque libidine vnumquodque agit, genio potius & arbitrio, quàm ratione ductus. Quarè imprudentem omnino esse puto atq; temerarium, qui se

------- *Iuuenum temerariæ pubi*, Auso. nius.

committere audeat, suamque valetudinem commendare.

His similibusque argumentis fulciri possunt, qui iuuenibus medicis infensi eorum virtuti, ingenio, iudicio, industriæque plurimum detractum, esse volunt, & a perfectorum medicorum numero eos delere: Dixi, Auditores, Fulciri Possunt, quia talia, reuerà ipsi non afferunt argumenta, sed a nobis reperta afferuntur: solùm enim dictitant, obiectantque, vel blaterant potius, Medicos absolutos senectute venerandos esse debere, non despiciendos iuuentute.

1. Ceterùm quàm bellè hallucinentur morosi isti homines, quā turpiter labētur, vel ex eo liquidò cōstat, quòd

Plautus. *Non ætate, verum ingenio adipiſcitur Sapientia.*

nam aliqui ſunt mento potius, quàm mente cani, ac mento non mente ſe prudentes ac ſapientes oſtentant: aliqui ecõtra, vt de Friderico Aenobar. tradit Guntherius, *Mente ſenex, ætate puer Fridericus;* de Iuliano Amm Marcellinus, *Virtute ſenior quàm ætate:* de Piſone Siluis

lib.1.

lib.25

lib.8. *Ore puer puerique habitu, ſed corde ſagaci*
Aequabat ſenium, atque aſtu ſuperauerat annos.

& de Bello Troiano Cornelius Nepos, ſiue quiſquis ſit ille auctor, qui Nepotis nomen mentitur,

Caneſcant alij mento, nos mente; Capillo
Nos animo; Facie, nos pectore: tempora quippe
Virtutem non prima negant, non vltima donant.

Et ſanè prima tempora non negant virtutem præſtantiamq; artis, neque vltima donant, cum plurimi in ſenectute pueraſcant, in iuuentute multi ſeneſcant. Complures videas, qui etſi in ætate multũ profecerint, in litteris tamen, atq; in prudentia rerum agendarum nihil vel parum profecerunt. Habitu quidem corporis & cõſpectu ve-

2.

venerandâ referunt senectutem, iudicio verò atq; prudentia merâ præseferunt infantiam. Quibus mehercule aptè quadrat illud Anacreontis

Senem sapit capillus,
Sed mens refert iuuencum.

vnde verissimum esse constat, quod

Canities temporis indicium sit, non prudentia. Menãder.

Econtra verò complures videas adhuc iuuenes, qui nõ minùs animò, quàm corpore polleant, qui exacto iudicio, ingenio mirabili, vsuque non mediocri valeant. Quos bardus sit atque ineptus, qui non optimos atq; præstantes in medicina facienda esse putet: quosque sub persona Pisonis describere videtur Lucanus

Est mihi, crede, meis animus constantior annis,
Quamuis nunc iuuenile decus mihi pingere malas
Caperit.

3. Neque verò silentio prætereundum est, quod apud Stobæum dixit Antiphanes, *Vita nostra est sicut vinũ, cuius modicum reliquum acescit*, sic in vita quod reliquum supereſt, inutile est, & rebus agendis ineptum. Etenim senescens homo nõ minùs corporis, quàm animi vigorem amittit: languescit ei spiritus, habetatur in- Serm. 113.

genium, memoria aboletur: nam, vt est apud græcum tragicum,

------ temporis longæuitas
Senem simul vacuumq; mentis efficit.

Et quamuis aliqui sint, qui etiam octogenarij corporis animiq; viribus polleant, ingenio iudicioque vigeant; tamen id monstri simile est, & miraculi loco habetur. Hoc enim in vno Pontifice omniũ Opt. omnium Max. nostra ætate vsu venire scio. Is enim sicuti dignitate omnes præstat, ita huius æui omnes omniũ calculo longè antecellit iudicio mirabili, præstantissimo ingenio, mirifico vsu, vario & multiplici, ac demum (quod nulla vnquam ætas vidit) omnium scientiarum genere miraq; encyclopedia. Ceteri verò languescunt penè omnes, corpore infirmi, animo stupidi, iudicio hæbetes, ingenio retusi, industria tardi, omnique facultatum genere frigidi.

4. Iam verò quod a præstantissimo neoterio scriptum est mire comprobat nostram operationem, *Vt malitia supplet atatem, ita ingenium & studium senes medicos facit*. Industria ac iudicium ingeniumq; perfectos medicos declarat. non enim est opus senectute, cum iudicium præsto est, vsus, ingenium: nam reuera

Cani

der.

5. Ceterùm & illud animaduersione dignum existimo, quod ab Aristotele traditũ est, Artium aliquas multùm studij, theoriæ atque litteraturæ opus habere; aliquas studij minimũ, vsus verò & exercitationis quamplurimum: inter quas Ars nautica numeratur: quam nullus vnquam e libris didicit, sed vsu & praxi sibi comparauit, etiamsi ætatem in nauibus gubernandis non consumpserit. Quòd si ita est, quis tam obstinatè inficiabitur, quempiam esse posse perfectum absolutumq; medicum, etiamsi ætate non consenuerit? Profectò ars medica etsi duobus fulciatur fundamẽtis, vsu ac litteratura; tamen certum est, hanc sicuti plus litteraturæ ita minùs vsus, quã nautica, opus habere: ergo si in ea quispiam perfectus esse potest adhuc iuuenis, in hac etiam esse posse nemo non videt.

6. At verò rei militaris exemplo res planè comprobatur. Nam siue milites spectemus, siue duces, facilè reperiemus, & hos & illos in arte eximios esse, etiamsi iuuenes adhuc sint. Et quidem quod facit ad milites exploratum est, apud Romanos in more positum fuisse, eos conscribi ab anno 17. ad 46. qua ætate habiles

habebantur omnes atque idonei ad quoduis generosum facinus perpetrandum, ad quodlibet audendum. De ducibus satis constat apud Polybium, Liuium, Sallustium, Velleium, Val. Max., ceteros Romanæ historię scriptores, iuuentutem suppeditasse Reipublicæ maximos eximiosq; duces. Et ne per inanem ostentationem historici munere hic fungi videar, sexcentis prętermissis, rem vno Pompeio Magno aperiam. Hic adhuc iuuenis in Aphrica Cn. Domitium Marianam factionem sequutum deleuit, Iubam Mauritaniæ Regē bello vicit, cępit, ante triumphalem currum duxit, vnde Magni nomen sibi peperit. In Europa Sertorium cum tota familia sustulit. In Asia Mithridatem deleuit, Aristobolum Iberiæ Regem prælio vicit, ac cępit, Tigrarem Armenię Regem ad genua procumbentem in Regnum restituit, Hiberos Iudæosq; debellauit capto eorum Rege Aristobolo, & ne vllus Orbis angulus sileret ingentes eius mirificasq; virtutes, Maritimas etiam victorias de Pyratibus reportauit. Horum omnia vel pleraque gessit Pompeius adhuc iuuenis.

Illud tamen Auditores, hic monuerim, me non existimare eum futurum

turum esse optimum medicum, qui statim medicinæ tyrocinio exacto artis faciendæ sese accingat. nam hunc neque artis præceptis satis imbutum censeo, neque, si imbutus esset, oportunè appositèque eis vti posse existimo: vsu & exercitatio opus est, vt medicinæ præceptis quis vtiliter salubriterque vtatur. Sed eum Iuuenem declaro bonum medicum, qui in medicinæ theoria diu multumque & accuratè versatus, eam penitus introspexerit, eiusq; præceptis penitus sit imbutus: Qui ingenio iudicioque pollens ea, quę ex libris hausit, exercitatione & vsu prudenter comprobauerit, diligenti animaduersione in morbis curandis versatus sit, aliorum obseruationes litteris traditas optimè calleat. Qui demum annis adultus ætateque firmus, ingenio, iudicio, vsu & experientia decem circiter annos practicæ medicinæ accuratè operam dederit, notauerit, obseruauerit. Etenim qui ad hanc ætatem peruenit non minùs ætate quàm natura iudicioq; maturus censendus est. Nisi quis eiusmodi ætatem agens ætate æquè atq; ingenio adultus est, nisi vigorem illum roburque ingenij sibi comparauit, desperandum puto de eius prudentia. Etenim corpus

animusque simul adolescunt, pariq; gradu ad vigorem ascendunt; neque alterum altero grandius fieri permittit natura; imò *Vtrumq; per se indigens alterum alterius auxilio eget*. Cõcludo igitur Senectutem neque multum addere, neque detrahere multum perfecto absolutoque medico: eumque medicum verè senem dicẽdum esse, qui etsi annis non adhuc senex, iudicio tamen ingenioque consenuerit.

Sallustius.

Neque putetis, Auditores, hæc me vestris auribus tribuere, aut iuuenili ætati vestrę blandiri; quia hæc eadem sentiunt magni in medicina viri Vallesius, Rodericus a Castro Medicus Amburgensis, Christophorus Cacherus elegantissimus aphoris. interpræs. & Vallesius quidem in Proœmio lib. 8. Controuersiarum hæc habet: *Sed duo nollem mihi denegari: fieri posse in medicis præceptis mente exercitatissimum, in operibus exercitatum mediocriter; atque hac ratione Reipublicæ & docendo & medendo non inutilem. Esse etiam eam senectutem quæ ad medicinam expetitur, nõ in annorũ numero, sed in medicorum operum longo multoq; vsu positam.* Rodericus a Castro non quidem Pisanus sed Amburgensis, eo longè doctior, hanc eamdem Vallesij opinionem non sententia modò, sed verbis ipsis

CON-

confirmat: eius hęc sunt cap. 10. lib. 2. Medici Politici: *Fieri potest vt iuuenis in medicis præceptis exercitatissimus, in operibus mediocriter versatus tam in medendo, quàm in docendo Reipub. sit vtilissimus, si modò mente canescat, quãuis non mento.* Cachetus verò idem existimat & multis probat dedita opera in Com. ad hunc eumdẽ Aphorismũ.

3. Iam verò vt rata magis firmaq; sit nostra opinio, rationes superiùs a nobis in nosmetipsos allatas dissoluere necesse est. Et prima quidem ratio deprompta erat ex Hippocr. aphoris. *Vita breuis, Ars longa.* vnde liquido constare videbatur, artem medicam vtpote longam breui tempore, ac proinde a iuuene haud posse comparari. Ceterùm illud nouisse oportet, Artem medicam eo tempore, quo ea aphoristica lex lata est, difficiliorem fuisse cognitu, quippe quæ rudis adhuc, nec adulta quasi vagiebat in incunabilis. eo tempore quisq; proprio marte propriaque obseruatione artem ferè omnem consequebatur: ac proinde longo tempore ac diuturno opus erat ad id assequendum. Et quamuis aliquæ obseruationes experimentaq; vel in tabellis in Apollinis templo, vel in libris extarent exarata, (nam & ante Hippocratem libri de re medica in lucem prodie-

runt. Hippocrates ipſe mentionem facit Andreæ antiquiſſimi rei medicę ſcriptoris) tamen perpauca ea erant, nec methodo perfectè diſtincta. Noſtra verò ætate longo temporis tractu magis magiſque in dies & ars in perfectiorem methodum redacta eſt, & obſeruationes experimentaq; longè plura, ac libris diſtinctiùs tradita. Accedit quòd ſingulæ medicinę partes miro accceſſu locupletatæ ſunt a conſequutis ætatibus. Anatomes hodie longè quàm Hippocr. ætate perfectior, quippe a ſexcentis anatomicis perennè aucta doctiſſimis certiſſimiſq; obſeruationibus. Herbaria nunc multò vberior, quàm fuerit olim, orientali occidentalique India magna ſimpliciũ copia ſuppeditante. Compoſitorum verò medicamentorum formis, quàm locupletata ſit ars medica, notius eſt, quàm vt a me probãdum videatur. neminem enim eſſe puto, qui neſcint; ſyrupos, iulapia, electuaria, conſeruas, opiata, condita, confectiones, pillulas ſexcentaque talia ignota fuiſſe eo tempore; nunc verò paſſim fieri obuiam vnicuique, lippis nota atque tonſoribus. Quarè nunc ſunt magis in promptu auxilia medica & vnica lectione quiſque poteſt ea ſibi comparare, breuique tempore. Verum quidem

eſſe

esse fateor, in vna vel herbaria, vel anatome cognoscenda obseruãdaq; vnius hominis vitam breuem esse: cum Galenus fateatur, se pulsuum naturam scientiamque vix senem adeptum fuisse: verùm, inquam, hoc esset, si medicinæ partes inexploratæ nunc essent, vt Galeni tẽpore natura scientiaque pulsuum (quamuis de Pulsibus morosus valdè sit Galenus) sed quia omnes inuentæ, methodoq; distinctæ ac doctissimis libris consignatę sunt, propterea breui tempore ab ingenioso ad discisci possunt. Nam

4. Ex libris nunc vt olim ex obseruationibus quisque potest haurire medicinam. Vnde patet ad Aristotelis auctoritatẽ, *Medicus non fit ex lib.* Fateor mehercule medicinam natam non esse ex libris, nec ex libris adultam, sed ex obseruationibus experimentisque, sed tamen natam adultamque ex obseruationibus adipiscimur modo ex libris, aliorum sexcentorum sexcentas obseruationes continentibus. Ergo ætate nostra librorum adminiculo ascendere possumus ad artis culmen, sicuti olim propria cuiusq; obseruatione experimentoq; ascendendum erat.

Quod verò dictum est ex Terentio *Res, ætas, vsus semper aliquid apportat noui, aliquid monet,* sicuti minimè inficiari

ciari possumus; ita nimium probare asserimus. nam etiam senes ac decrepiti aliquid præterea addiscere possunt. vt enim scriptū est a Liuio, *Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus dies q; facit*; ac proinde indies magis quisque in arte proficere potest etiam senex, etiam decrepitus. Itaq; sicuti inficiandum nō est, ex eo quod senex magis magisque indies doctior fiat, perfectum esse medicum, ita propter eamdem rationē de iuuene idem inficiari non possumus. lib. 32

5. De re verò militari, quæ quinto loco obiecta a nobis fuit, minùs laboro. nam prima ætas, teneraque iuuentus & militari & medicæ arti exercendæ inepta est: matura verò iuuentus, quæ consistit ac viget ducendi exercitus, Reipub. gubernandæ, medicinæ faciendæ aptissima censenda est. Nam Alexander Magnus e trigesimo anno pedem vix efferens adeò præstans, peritus prudensq; fuit Imperator, vt non modò Græciam vniuersam reliquamque Europæ partem, quæ Asiam spectat; sed ipsam aggressus Asiam, totam in suam potestatem redegit, ad Indos ipsos vltimos Orientis populos penetrauit, multaque alia gessit, quæ a nemine a cōdito æuo, vt loquitur Apuleius, gesta esse feruntur. Quid dicam

de

de Scipione Maiore? qui adhuc prætextatus, hoc est 16. annum non excedens *Quiddam humano fastigio maius præ se tulit:* nō solùm miles ad Trebiam mira patrauit facinora, patrēq; ab hostibus circumuentum seruauit; sed non multò post in hispaniam, in qua paucis arte diebus pater & auunculus vna cum exercitu trucidati fuerant, profectus Asdrubalem cum vniuersis copijs fudit, Hispaniasque iam amissas, in potestatem Popul. Rom. redegit; & non multò post in Aphricam traijciens, Hannibalem ex Italia discedere cōegit, eius exercitum deleuit, totamque Aphricam, Pœnos certè omnes subegit, ac tributarios Popul. Rom. fecit. Si ergo iuuenilis ætas idonea est militari arti, profectò etiam medicæ aptam esse necessariò asserendum videtur. Imò verò constans illa ætas semper habita fuit aptissima magnis rebus gerendis, ac Reipub. administrandæ. nam Magistratus omnes Populi Rom. gerebantur ab anno 27. ad 41. adeò vt ingens illa maximaque Respub. administraretur a constituta illa ætate, vt liquet ex accuratis antiquariorum obseruationibus præsertim verò Sigonij, Panuinij, Manutij, Robortelli, Gruchij, Lipsij, ceterorum: nam Consulatus, Censura, Prætura, Aedilitas, Quæ-

Val. Max.

stura,

ſtura, Tribunatus plebis ceteriq; magiſtratus, quibus innitebatur Romanum Imperiũ, ab anno 27. ad 41. omnes gerebãtur. Quod ſi huiuſmodi ætas adminiſtrandæ Reipub. Rom., hoc eſt, regendo vniuerſo Orbi apta cenſebatur, non eſt cur eadem ætas inepta habeatur vnius homuncionis valetudini curandæ.

1. Quod verò ait vulgus, medicum debere eiuſmodi eſſe

----- *Cui plurima mento*
Canities inculta iacet -----

haud inconcinnè retorqueo, medicum inquiens eiuſmodi eſſe debere

----- *Cui plurima Menti*
Canities perculta iacet. -----

Mente canus eſto medicus, non mento: ideſt ingenio, iudicio, induſtria, lectione varia, multiplici obſeruatione polleat. Quid enim, obſecro vos, refert, homini medico ineſſe longam ſatis & promiſſum barbam, canitiemq; decoram, niſi iudicio is ingenioque præſtet? Quis æſtimabit eum medicum ſenem qui in funerandis ægris potius, quàm in curandis morbis ætatem impendit, qui contriuit calceos per vrbem obambulando potius, quàm ingenium in medendis morbis exercuerit?

2. De prudentia iuuenilis ætatis, quæ ſecundo loco obiecta fuit, deq; ſa-

sapientia, quæ tempore vsuq; comparetur, non admodum laboro, cum

Non ætate verùm ingenio adipiscatur sapientia Plautus.

præsertim in rebus medicis, quæ aliorum obseruationibus nituntur a quouis ingenioso facilè comparādis hauriendisque e libris, vt abunde superiùs dictum est.

3. Multiplex verò scientiarum cognitio, qua præditus esse debet medicus, non arguit iuuenem esse non posse absolutum medicum. nam earum facultatum pleraſq; leuiter attingere satis est, vt mathematicam, geometriam, arithmeticā, astronomiam ceteras huiusmodi.

Eæ verò quas penitus haurire debemus, longam quidem reddunt artem, sed non longissimam. eam enim philosophiam, herbariā, anatomenq; qua opus est perfecto medico, intra constitutam ætatem comparari posse existimo, re experientiaque doctus, cum viderim sexcentos ingenio iudicioq; præstantes, qui in iuuentute ea omnia adepti sunt, ac proinde præstantes in re medica euaserunt. *Non enim*, vt cum Plutarcho consignem, hanc meam Lectionem, *qui diu cecinit, rhetoricatus est, aut gubernauit, laudatur, sed qui Scitè.* In Mora lib.

FINIS.

UNIVERSIDAD CENTRAL DE LA FACULTAD DE MEDICINA BIBLIOTECA

Grauiora Errata correcta.

PAg. 1. lin. 18. tyronibus. 3. 4. temperatus. 4. 25. Leonides. 7. 32. eum. 16. 31. organicis. 20. 26. hepar. 29. 12. quod. 32. 25. membro. 37. 26. gratias. 38. 25. duorum. 56. 5. prompſiſſe. 60. 14. ſatis. 81. 17. hepati. 88. 27. reticeam. 94. 19. percelli. 25. miror. 96. 30. maxima. 97. 21. Fernelius. 99. 5. operari. 106. 23. ſignificat. 107. 5. quiddam. 120. 1. morborũ. 121. 16. τῆν. 127. 21. coagulare. 134. 5. agri. 136. 15. vomitus. 139. 23. Aſclepiadis. 142. 16. diſſimulare. 22. Diſquiſitio. 143. 6. prudentiùs. 143. 13. qui. 144. 9. ſpiritus. 144. 25. corpus eneruat. 147. 20. hæmorrhagia. 160. 19. interna. 174. 6. hæmorrhagiam. 178. 27. autem. 199. 24. Alpinus. 200. 21. principalem. 24. ſequantur. 216. 20. induſtriæ. 217. 8. reuellendum. 227. 19. nimirum. 228. 1. materiamque. 230. 22. naſturtium. 235. 9. ſiue. 237. 8. diſſipantia. 240. 26. vtendum. 250. 13. cauſam. 226. 7. ſyrupi. 280. 41. ſeroſos. 287. 1. Renodęum. 288. 9. amarore. 315. 14. apud Hipp. 316. 29. libras. 319. 6. poſtliminio. 320. 6. gallinaceis. 339. 21. principijs. 343. 13. Auruncios. 335. 16. medicamentorum. 22. medicamentorum.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Abſceſſus futuri indicia 184
Abſtergentia medicamenta 274
Actiones quatupliciter læ dantur 202
Adeps eſt pars ſanguinea 15
Aegyptij non ſunt medicinæ auctores 2
Aegri in quadriuijs olim expoſiti 2
Aematoſis ex propria hepatis facultate oritur 76
Aer qualis eſſe debeat 131
Alterantia medicamenta 254
Animaliũ functionũ ſymptomata quot & quæ 202
Animi pathemata morborum cauſæ 148
Appetentiæ ſedes vbi ſit 74
Aquæ bonæ conditiones 140. tyberina mala 141
Arteria quid 12. eius officium 12. cur eodem motu cordis agatur 66. aſperæ deſcriptio 67
Attenuantia medicamenta 270
Attrahentia 272
Aurium deſcriptio 57
Auditio vt fiat 58
Bilis quid 21. vbi multa quotuplex ibidem 24 eius copiam quæ oſtendunt 159
Bilem alterantia medicamenta 265. purgantia 280
Cacochymia quid & quotuplex &c. 122
Calidæ intemperiei cauſæ quot & quæ 150. ſigna 157. curatio 223
Calculi non generantur a frigore, ſed a calore 127. non a vi lapidifica vt Fernelius exiſtimat 128. quibus in partibus generentur 127
Caro quid 13. vnde generetur ibid.
Cerebrum quid 35. eius præſtantia 34. humanum omnium maximum 34
Chirurgiæ operationes quæ & quot 307
Chyloſis officina in fundo ventriculi 75. fit a facultate ſtomachi peculiari ibid.
Ciſtæ fellis munus 80
Coctio quid 299. a calore fit, chyloſis a proprietate ſtomachi 75
Contra indicãs, coindicans, & cõſentiens quid 220

Cor-

Digitized by Google

Corpus humanum quando ſanum cenſetur 100. prius abſoluitur quam hepar ſanguinem gignat 28. cum interit quomodo reſoluatur in elementa 16
Cor eſt præcipuum facultatis vitalis inſtrumentum 62. eius deſcriptio ibid.
Coaleſcentia quid 235
Compreſſio ibid.
Conſtipatio ibid.
Criſis quid 180. quotuplex 180. vt præcognoſcatur 182. vt abſoluta ſit quot requirantur & quæ 184
Cruda materia non euacuanda & cur 299. quando euacuanda 300
Cutis tactus organum 60. quid ibid. 13
Diaſtole quis morus ſit & quem vſum afferat cordi 64
Dies critici qui 187. indices, intercalares, vacui, medicinales 188
Diortheſis quid 307
Dieresis 307
Diætæ neceſſitas 318
Differentiæ morborum a 114. ad 120
Diſcutientia med. 275
Dogmatica ſecta, eiuſque auctor, affectæ, placita 3
Dolor eiuſque curandi rationes 247
Elementum quid 15. quomodo differat a principio 14. quot ſint 15. num formas amittant in miſtione 18
Emſtirica ſecta 2. auctor, effectæ placita 3
Emollientia & indurantia 269
Emulgentes 82
Exhæreſis quid 307
Exercitatio 145
Excretio & retentio 147
Excretorum & retentorum ſymptomata 211
Facultas animalis 35. principes ibid. motiua & ſenſitiua 42. Viralis 53. naturalis 50
Facultates animales num ſint ſedibus diſtinctæ 39
Facultatum principum vna læsi poteſt altera illæſa 39

Flatus ab infirmo & valido calore vt generari possint 126
Figuræ morbi 111. curatio 231
Fluminum magnitudo vnde æstimatur 140
Formatrix facultas 70
Fractura 114
Frigidæ intemperiei causæ 150. signa 158. curatio 223
Galeni de Antonino sententia refellitur 4. quo tempore vixerit 4. restituit sectam rationalem 4
Generatrix facultas quæ & quotuplex 70
Gingiuæ sunt veræ carnes 73
Generatio quomodo 15
Hæmorrhagiæ futuræ signa 183
Hippocrates auctor sectæ rationalis 3
Humorum partitio 19. quid sint 21. &c. quotuplices 22. vbi multa. singuli habent suum serum 194
Ecur 70
Imaginatio quæ 35. eius vis mirabilis 36. operatur etiam si sensus ocientur 36. varia exempla deprauatæ 37
Indicatio quid 217. eius differentiæ 218. Indicans 219. Indicatum 220
Indurantia & emollientia 269
Incrassantia 270
Incidentia 274
Intellectus præstantia 38
Intestina 79. chylum alterant 79
Intemperies est morbi similarium partium proprius 110
Ira quid 148. vnde oriatur ibid. irati non timent & cur 148
Lapidis gignendi ratio ostenditur, refellitur Fernelius 128
Liceti opinio de seminis anima 98
Ligamentum quid 11. eius officium 11
Lien melancholicum excrementum fugit 81
Linguæ descriptio 59

MAturantia medicam. 275
Medicamenta temperata 254. calida in primo gradu 255. calida in secundo 256. calida in tertio 257. calida in quarto 259. Frigida humida, sicca in omnibus gradibus a 259. ad 264
Medicamenta certos humores partesque alterantia 264. eorum gradus vnde definiendus 225
Medicamenti quantitas vt definienda 297
Medicus est artifex sensatus 106
Medicina quando nata 2. eius definitio 5. diuisio, subiectum, sectæ, partes &c. a 2. ad 7
Melancholia quid 22. vbi multa eius signa 159
purgantia 287
Membrana quid 10
Methodica secta 4
Methodus quid 216
Memoriæ præstantia, locus, mirabiles actus 38
Mistio quid 17. quomodo fiat ibid.
Morbus quid 105. eius subiectum 108. præcipuæ differentiæ 109. accidentales differentiæ 115
Morbus in intemperie quotuplex 111. totius substantiæ 111. partium organicarum 113. &c. Solutæ vnitatis 114. Morbi vires vnde extimentur 174. euentus vt præcognoscatur 174. Morbi in situ vt in soluta vnitate &c. curandi ratio 242 & sequentibus.
Motus vt fiat 61
Mulierum in coitu quæ voluptas 94
Musculi quid 60. motus organa 61
NAsi descriptio 58
Neruus quid 11. est instrumentum sensus & motus, eius substantia 43. vnde oriantur 43 variæ diuaricationes ibid. quem vsum corpori præstent ex Hippocr. 49
Nutritio quomodo fiat 22
OCculta intemperies vt curetur 229
Oculus sensuum princeps 53. quid ibid.
Odium quid 149
Oris descriptio 72
Offium materia, natura, vsus 10

PAlatum 73
Partes dissimilares quæ 31. earum diuisio 31
Partis affectæ indicia 170
Permittens quid 220
Pituita quid 21. pituitam purgantia 284. redundantis signa 159
Plethora quid & quotuplex 121. signa 122
Prognostica signa 173
Pulsus quid 186. eius differentiæ ibid.
Purgantia leuiora 280. fortiora 283
Purgantia per vrinam 291. per vomitum 290. per sudorem 292
Purgantia quid 295. eius indicans ibid. quomodo adhibenda 299. per quem locum facienda 303 cur dicatur euacuatio humorum qualitate non quantitate peccantium 296
RAtionalis secta 3
Ratiocinationis facultas vbi sita 39
Rarefacientia medicamenta 272
Repellentia medicamenta 272
Respiratio eiusque instrumenta 66
Roborantia medicamenta 272
SAnguineæ partes 10
Sanguis qui vbi generetur 21. & 76. abundantis signa 160. mittendi scopus 308. vbi multa. maternus est alterum generationis principium 99. ad animi deliquium incluse missus 316
Sanitas quid 100. eius subiectum 102
Sanitas similarium & organicarum in quo consistat 101
Sectæ medicorum 3
Semen quid 20. 90. vbi elaboretur 20. in generatione præstat duplicem causam 91. muliebre etiam efficiens 92. est animatum 98
Seuerus non successit Antonino, vt vult Gal. 4
Signa morborum 155. &c. partis affectæ 170. causarum morbi 171. prognostica 173
Sitis quid, quid indicet 250
Soluta vnitas 114. eius causa 159. signa 162. curatio 244

Sonus quid, est auditus obiectum 57
Somnus, eius vtilitas & damnum 144. eum conciliantia 249. & 278
Stomachus propriæ qui 74
Structuræ morbi 111. causæ 152. signa 168. curatio 230
Sudor omnibus morbis comes est 305. imminentis signa 183
Symptomatum quot species 201. ad 110. eorum curandi ratio 246

TEmperamentum quid 26. calidum, frigidum, humidum, siccum nascitur ex elementorum mistione, non est hominis, vt homo est 26. proprium hominis est sanguineum, bilioſum &c. vnde oriatur &c. 27. præcedit humorum generationem 28. quot sint & quæ 28
Tyberis aqua mala & cur 141

VEnæ 12. earum officium ibid. & 84. diuaricationes 84
Ventriculus 74. mira eius sympathia cum corde & cerebro 74
Victus rario 321
Vini optimi conditiones 138
Visio quomodo fiat 54
Vitalis facultas, quæ 64. eius sedes cor; ibid. morbi vim testatur 204. eius symptomata 204
Vrina quid sit 193. criticam futuram esse quæ indicent 183. est signum certius quã sit pulsus 193 eius differentiæ 194
Vulnus 114

FINIS.

BIBLIOTECA CENTRAL DE LA FACULTAD DE MEDICINA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google